




Assertio orthodoxae doctrinae de duabus naturis Christi servatoris nostri, opposita blasphemiasi & sophismatibus Simonis Budn[a]ei nuper ab ipso in Lituania euulgatis

<https://hdl.handle.net/1874/423058>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat



This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Oct









E.

2

E. oct.

275^{3.}





E. 85.275

ASSERTIO

ORTHODOXAE DOCTRINAE DE

DVABVS NATVRIS CHRISTI
SERVATORIS NOSTRI, OPPONITA
blasphemis & sophismatibus Si-
monis Budnei nuper ab ipso in Litu-
nia euulgatis: auctore I O SIA S IM-

LERO sacrarum literarum in
schola Tigurina pro-
fessore.



TIGURI

Excudebat Christophorus Froschouerus
Anno M. D. LXXV.



;

卷之三

—
—

ILLVSTRI AC MA-
GNIFICO DOMINO D. IOAN-
NI HLEBOVITZ, DV BROVNAB,
& Seslauie hæredi, Castellano Minescensi,
Capitaneo Onixensi, &c. Domino suo co-
lendissimo, Iosias Simlerus precatur Gra-
tiam & pacem à Deo patre, & Do-
mino nostro Iesu Christo.

PER LATVS est ad me his diebus libellus Simonis Budnæi, nomini tuo illu-
stris ac magnifice domine inscriptus, in
quo ille per latus Stanislai Grochowij
me confidere, & ueram ac sanam doctrinam de dua
bus naturis Christi seruatoris nostri euertere cona-
tur: quo scripto eandem scribenda necessitatē mihi im-
ponit, quā sibi inuito ab alijs impositam esse nescio
quam vera conqueritur. Cum enim nominatim me
n certamen protrahat, nolui defensionem veritatis
emel à me suscep tam deserere, neq; putauit milii li-
cere ad tantas ipsius blasphemias tacere, eas si-
entio vel comprobare vel saltem dissimulare. Quo-
tiam vero clarissimo nomini tuo Magnifice heros li-
brum hunc quo Deitatem Christi redemptoris no-
tri impugnat inscribere ausus fuit, volui ego quoq;
neam responcionem Magnificentie tuae offerre, qua
liuina natura & gloria Christi asseritur. Atq; ille
iudicem nihil toto libello rectius fecit quāquod M.
P. asserit longe diuersam amplecti sentiam ab

P R A E F A T I O.

ea quam hoc libello tuetur, ita enim melius honori
tuo consuluit, quem impij libri inscriptione quodā
modo polluerat. Ego etiam qui M. T. pietatem in
vera fide amplectenda & propaganda ab amicis
prædicari audieram, publico scripto labem hanc ex
maculam, quam patrocinio blasphemiae suæ tibi de-
lato Budnæus asperserat, abstergere conatus sum:
Idq; etiam eo libentius feci, quod audirem Illustrem
& magnificum Dominū D. Ioannem Crotzinum
Palatinum Vladislauensem, M. T. affinitate aliqua
coniunctum esse, dudum namq; mihi perspectum est
eius herois ardens & sincerum studium tuendæ sas-
næ & orthodoxæ doctrine, ac quoniam suam bene-
uelutiam qua me ob idem studium complexus est,
multis testimonij erga me declarauit, non dubito
meum hoc officium illi quoq; non ingratum fore.
Videtur quidem Budnæus amplis laudibus M. T. or-
nare, sed reuera summa eam afficit contumelia: si e-
nim te ex eorum numero esse arbitratur qui ipso-
rum dogmatæ probant, non potest maiori ignomi-
nia apud omnes bonos te ipsum afficere, quam hac
tetrajustificatione in animos hominum inducta, dele-
ctari te his blasphemij quæ Christum Deum esse ne-
gant. Sin vero ita sentit M. T. longe diuersam am-
plecti sententiam, vide queso quod nam ipsius Bu-
dnæi de te sit iudicium: te scilicet ex eorum numero
habet qui in fundamento fidei aberrent, qui falsam
doctrinam promoueant, & veritatem diuinitus re-
uelatam oppugnant, qui foueant pestilentissimum
dogma, & qui in exitium abeant, hæc enim in ipsa

Præfatio-

Præfatione encomia tribuit his qui diuersam ab ipso sententiam complectuntur. In quo sane ego ipsius vel incogitantiā vel temeritatē miror, qui hæc ad M. T. scribere ausus fuerit, ex eadem inconsistantia de alijs quoq; magnis viris similiter iudicet: Martinum enim Lutherum vocat virum Dei, et virum incomparabilem, Ioannem à Lasco, cum virum quo nullum unquam Sarmatia ediderit vel doctiorem vel pietate præstantiorem: recte quidem et vere illis has laudes tribuit, sed cum constet diuersam sententiam amplexos fuisse, quomodo hic pietate præstare potuit alter vero vir Dei esse, si ambo (ut ipse sentit) in fundamento fidei aberrarunt, et docuerunt nugas aniles, vaniora Siculis gerris. Antichristiana deliria, pestilentissimum dogma foverūt, et multos homines in exitium abduxerunt. Nos quoque Lutherum virum Dei agnoscimus, quamuis inter nos et ipsum graue certamen sit verum non de fundamento fidei sed tantum de modo præsentiae corporis Christi in Cœna sacra. Cum enim utrinque agnoscamus veram et viuificam communionem fidelium cum Christo capite, que nobis in sacra cœna obsignatur, et tantum sit controvenerat quomodo verum corpus Christi, panisvitæ æternæ, quo nobis alicui et uiuificari nemo dubitat, presens sit in Cœna Domini, non arbitramur eos qui a nobis dissentient, et in hac re aberrant, protinus homines in exitium abducere, ideoq; pie et honorifice nihilominus de his et sentimus et loquimur. Quia vero conscientia Budneus eos laudare a pietate possit quos testatur

P R A E F A T I O .

à fundamento fidei aberrare, & longe pestilentissimum dogma fo iere, hominesq; innumeros in extium abducere, ipse sanè viderit. Mibi quidem & vna mecum multis bonus viris videtur cū ipsum tum alios istiusmodi homines, nihil certum et firmum in religione babere, idq; multorum exemplo probatur qui quotidie ab uno errore in aliud, & quidem deteriorem atq; aperte blasphemum prolabuntur. At que vt à tua Magnificentia, cuius constantiae etiam Aduersarius testimonium perhibet, orationem ad eos conuertam, qui nimia levitate se ab huiusmodi hominibus in errorem abduci, vel saltem suam fidem labefactari ab his patiuntur, velim eos mihi exponere que nam sint graues illæ & præcipue causæ qibas mouentur vt in tantas impietates & blasphemias se præcipitent. Dicent forte se studere afferendæ gloriæ Dei, atque hoc nomine paratos esse quidam pati & omnium hominum odia subire. Egregij verò assertores sunt diuini honoris, qui Patrem negant. Se Patrem filij sui, & hoc nomine ipsum mendacij arguunt, neque enim hic Filius est verus & genitus qui non eandem cum patre naturam et substantiam habet. Filium verò quomodo ignorant, quando nomine Dei & Filij Dei illi relinquent, interim re ipsa deitate quantum in ipsis est spoliant, & hominem tantum virili conceptum semine asserunt? Evidem hoc dogma blasphemum, tantæ impietatis omnibus sœculis estimatum fuit, ut nunquam diutius persistere & locum aliquem obtinere potuerit. Docuerunt aliqui has blasphemias vt

Ebion,

Ebion, Artemon, Paulus Samosatenus, Photinus: sed nunquam ecclesias aliquas constituere potuerunt, nisi quod iudeorum aliqui Ebionem secuti sunt, ceterum pri omnes eorum dogmata tanquam impia et blasphemia vehementissime detestati sunt. Samosatenum enim piissimi et doctissimi illius temporis episcopi in unum conuenientes damnarunt, et iuante eos Aureliano Cæsare, quamvis à Christiana religione alieno, ecclesia Antiochena cicererunt: Photinum verò ne Ariani quidē quamvis et ipsi Christiē patri coessentialē et coeternū negarent ferre potuerunt, sed impietate illius publicis scriptis et concessionibus, et concilio quoq; Sirmij coacto damnarūt. Atq; omnino publico et cōmuni consensu omnium piorum ab Apostolorum etate ad nostram usq; dogma hoc quod nūc renouatur, impietatis et blasphemiae damnatum fuit. Verum mouentur forsitan auctoriitate et sanctimonia eorum qui primi nostris temporibus hec dogmata sparserunt, et existimant hos solos Antichristi regnum oppugnare et nouam sanctamq; ecclesiam edificare Domino, sed dicant nobis que nam habeant harun rerum testimonia, aut quibus indicijs hec collegerint et didicent? Laudant suos doctores Lelium, Blandratam, Franciscū Davidem, Gregorium Paulum, et alios: non inquit in eorum mores, dogmata quoque alio loco discutiemus, hoc tantum dico et constanter affirmo, ipsos in religione nihil certi habuisse. Lelius mihi dum viueret familiariter notus, et ut multis alijs bonis viris, amicus fuit. Tiguri diutissime vixit, et

P R A E F A T I O.

vitam apud nos finiit: ac s̄epe quidem questiones ob-
ſcuras atque etiam curiosas de varijs partibus Chri-
ſtianæ doctrinæ proposuit, quod tamen discendi cau-
ſa à ſe fieri dictitabat, hæc verò que nunc ſub ipſius
nomine circumferuntur nunquam apud quenquam
noſtrorum aſſeruit, imò nihil tale repertum fuit in
illius scriptis que paulo diligentius & accuratius
ab eo conſcripta ſic ut legi poſſent certi homines ē
numero ministrorum inſpicerunt. Sunt quoq; com-
plures qui ſepe illum dicentem audiuerunt, Lælium
ſemper diſcipulum nunquam doctorem fore, neque
facile quenquam cum affirmātem aliquid contro-
uersum auditurum eſſe. Iure igitur dubitari poſteſt
fuerit nec ne horum dogmatum auctor que ſub illi-
us nomine ſparguntur, atq; ut maxime fuerit, quam
poſteſt is doctor auctoritatē habere, qui nunquam
dum viueret ſuam ſententiā publice proſiteri au-
ſus fuit? De alijs quid dicemus? qui primum Papatu
relicto noſtris ecclesijs ſe coniunixerunt, poſtea in
ſummo capite doctrinæ, in cognitione Dei à uobis
diſſentientes, primum Christum ante carnem exti-
tiffe fassi ſunt, ſed eum Deum quendam eſſentialium
feceſſunt, eternum quidem, verum ut perſona ſic eſ-
ſentia quoque a Patre diſtinctum & illo inferiorem:
mox ſpiritum quendam creatum ante omnes alias
creaturas coniunixerunt, qui carnem ex virgine aſ-
ſumpſerit: tandem eum ante nativitatem ex virgine
reipsa prorsus non extiſſe aſſirmaūt. Apostoli ex
Iudaismo ad Christū cōuerſi, aliquandiu veteres le-
gis ritus & ceremonias retinuerunt, non tamen ab
initio

Initio modo hoc, mox aliud de Christo docuerunt. Ex illis etiam quorum opera Deus vsus est nostris temporibus in reformanda ecclesia, nonnulli diu retinuerunt quasdam opiniones quibus olim in Papatu animi eorum imbuti fuerunt: nemo tamen horum tanta inconstantia fuit, ut quotidie sibi fidem inno+uandam putaret, quemadmodum isti facere solent: qui dum in singulos annos nouam fidem quemadmodum Genethliaci nouas Ephemerides cudent, satis ostendunt, se non habere fidem, neque enim alias fidem quererent, & inuentam rursus in dubium reuocarent, & se omnium ludibrio expone+rent. Abhorrent a Papistica doctrina, sed non discernunt quid Papisticum sit ab ipsis Papis extra Dei uerbum excogitatum & ecclesiae traditum, & quid Christianum sit & uerbo Dei consentaneum. Verentur cgregij uiri ne Antichristo se iungant, si una nobiscum credant in unum Deum Patrem Filium et Spiritum Sanctum: si Christum seruatorem agnoscant in una & ademq; persona esse uerum Deum & uerum hominem: interim miseri non uident se cum magno illo Antichristo Machomete consentire, quando unam tantum in Christo natu+ram esse fingunt, & eum uerum Deum esse negant, atque cum impijs Machometanis sacrosanctam Trinitatem contumelijs afficiunt. Itaque non mirum est multos ex horum numero ad Turcas & Iudeos deficere, quandoquidem in prae*cipuis* capitibus fidei cum illis consentiunt. Fieri etiam non potest ut Christum seruatorem & redemptorem firma & inconcussa fide

P R A E F A T I O.

amplectantur qui ipsum opinantur tantum merum
hominem esse: sed uel magnitudinem mali in quo
uersantur non sentiunt, uel non perfectam eternam
que redemptionem & salutem ab ipso expectant:
Sed uerisimile est horum animos ludaicis & Machia-
meticis opinionibus imbutos esse, ac carnalem tan-
tum salutem & fœlicitatem à Messia expectare.
Nos vero ex sacris literis didicimus eum esse Mes-
sie principatum, quem nisi uerè Deus sit tueri non
possit. Tribuitur enim illi dominatus in cœlestia,
terrestria & infera, cui peccatum, mors, infernus
& potestates omnes subiectæ sunt, tam potens ue-
ro imperium in omnia creaturae non conuenit. Ho-
mo merus peccati mortis & inferni uictor esse non
potest neque homo merus potest esse nostra iusti-
tia, uita, & ueritas, & sapientia: sed eundem Deum
esse oportet, in quo omnia que uiuant uiuant, que
sapiunt sapient, omnia que iusta sunt iusta sunt. Itaq;
apud Esaiam prophetam Deus primus et nouissimus
dicitur redemptor Israelis, præter quem non fit
saluator, qui etiam delectat propter se peccata eo-
rum: & Ieremias Messiam qui est iustitia nostra
Iehouam uocat. Hec inquam cum didicerimus ex
prophetiis oraculis, fiduciam omnem salutis in
puro homine collocare non possumus, sed cum cres-
dimus esse nostrum redemptorem, qui & Deus &
homo est, unus idemque Dei filius & filius hominis.
Neque contrariam suam opinionem seu potius bla-
phemiam Aduersarij ex sacris literis demonstrare
poterunt: multa quidem testimonia adducunt, & lo-
cerunt

corum scripture citatione simplicium oculos perstringunt, sed primū id probant de quo nullus est controversia, nempe Mediatorem nostrum uerum esse hominem, quod nemo pius unquam negauit: deinde ubi ad id quod in questionem ipsi uocarunt accedunt, & ostendere conantur cundem Mediatorem unius tantum naturae esse, humanae scilicet, multum laborant ut suam sententiam sacris testimonijis confirmant, quam bene & uere suo loco indicabimus: id quidem manifestum est, uerba scripturarum ipsos seruare nonnunquam rem ipsam negligere: nomen Dei & filij Dei Christo tribuunt, sed ueritatem & rem ipsam horum nominum constanter negant: idem faciunt in alijs nominibus, cum omnia per ipsum facta esse, & mundus per hunc conditus scribitur. Veterum etiam hereticorum argumenta reuocant, & eorum more Patris diuinitatem ex excellentiam celebrant, ut his omnibus filium spolient. Atque ut de Arianiis scribit Hilarius, uidentur sibi de singulis p̄fessare rationem, qui singulis assertiōnibus suis quādam ex diuinis uoluminibus testimonia subdiderunt, quae corrupto intelligentiae sensu solis tantum ignorantibus blandiantur. Speciem ueritatis secundum prauitatem interpretantium prestitura. Nobis autem, ut idem docet, res diuine tantum ex scripturis discende sunt, & diuinorum dictorum auctoritates sequende sunt, sic tamen ut remotis hominum opinionibus intelligentiam dictorum ex causis petamus dicendi seruatis dictorum uirtutibus. Quare quod aduersarij nos hortantur ut spiri-

P R A E F A T I O.

tus probemus an ex Deo sint, equidem studiose &
sedulo facimus, utinam uero idem ipsi quoque face-
rent, qui uidentur non aliam notam habere qua spiritu-
ritum approbent, quam si quis sacrosanctam trinita-
tem neget: quicquid tandem affirmarit probant, si
modo id nouū sit & cū doctrina ueteris ecclesiæ pu-
gnet, itaq; ueteres hæreticos Sabelliu, Samosateniu,
Manem, Arium, Eunomium, Macedoniū, Nestoriū,
Eutychem, inter oppugnatores Antichristianismi,
et sanæ doctrinæ defensores numerat. Aliter spiritus
Dei in Apostolis & sanctis hominibus operatus est,
quos primum diuina luce accedit ut Christum &
salutem ab ipso nobis partam certo cognoscerent,
qua cognita falsas opiniones de ceremoniarum ob-
seruatione, & legis iustificatione, aut de Gentili-
um Deorum multitudine & horum cultu sponte
abiecerunt: Hi vero noui doctores primum suis per-
suaserunt doctrinam in ecclesia receptam de sacro-
sancta Trinitate esse Papanam et Antichristianam,
& postea accepunt nouum dogma credere, & no-
uam turrim Babel extruere, in cuius fundamentis ia-
ciendis statim inter se dissenserunt, & non tantum
in sectas dissidi sunt: sed principes sectæ & noui apo-
stoli sæpe gentes doctrinæ mutarunt. Atque hic non
est diuinus spiritus qui fidei πληροφορίαν operatur,
sed potius spiritus vertiginis quo reguntur ho-
mines ambitiosi, leues & inconstantes, qui sibi
præ alijs ingenij acumine pollere videntur, & ut id
ostentent noua dogmata in religione consingunt.
Simulant quidem studium sacrarum literarum, &

sum=

summum honorem illis deferre videntur, verum
hoc potissimum agunt ut suo ingenio illas subijcant:
nam quæ alia causa est impugnandi doctrinam or-
thodoxam de sacrosancta trinitate, quam quod illis-
absurdum est, & ratione compræhendere non pos-
sunt quomodo unum sit tria, & tria unum? Negare
non possunt scripturas ubique aperte prædicare u= --
num Deum, & rursus easdem docere Patrem ue-
rum Deum, & Iesum Christum filium Dei uerum.
Deum, atque etiam Spiritum sanctum uerum Deū:
& cultum atque honorem Dei his simul tribui, cum
in Baptismo, tum in publicis & priuatis precibus
piorum: atque cum consecutio hæc simplex hinc ef-
ficiatur, nempe Patrem, Filium & Spiritum esse u= -
num illum uerum & æternum Deum totius mundi
opificem & gubernatorem, nequaquam tamen hæc
admittere uolunt, quod eam humana ratio capere
non possit. Quare ut simplicem uerborum scriptu-
ræ sensum & interpretationem eludant, diuinitat-
em omnem Patri tantum uendicant excluso Filio
& Spiritu sancto, Christo aut nomen Dei, sed absq;
deitatis substantia & natura relinquent; & quem
scriptura prædicat & omnes pijs credunt uerum es-
se Deum hominemq; ipsi merum hominem faciunt,
atque sanctam & scripturis consentaneam doctri-
nam de Christi æterna deitate atrocibus conuicijs
proscindunt, quorum uel meminisse animus horret.
Aristoteles philosophorum summus scribit nonnulas
questiones non esse dignas responsione & dispu-
tatione, sed pena qua coercetur petulatia eorum

P R A E F A T I O.

qui quæstiones pietati & bonis moribus contraria mouent: idem de istorum hominum quæstionibus sentio & iudico, reuera poena & supplicio dignos esse qui talia mouent: neque hoc dicimus quod nobis desint rationes quibus eos confutare possimus. Quid enim? num principem philosophum nullas rationes habuisse credimus quibus parentes probaret amandos esse, & forte ob argumentorum inopiam censuisse eos qui dubitent an parentes sint amandi poena dignos esse? Ac non potius censuisse impiam & bonis moribus noxiam esse dubitationem hanc, neque concedendum petulantibus ingenij ut hæc in dubium uocent quæ non nisi impie negari possunt. Similiter nos quoque quando dicimus poena dignos qui Christi seruatoris nostri deitatem in dubium uocant, non quidem destituimur argumentis & scripturarum testimonij quibus nostra sententia confirmatur, sed dolent nobis blasphemiae quibus sancta seruatoris nostri maiestas afficitur, & con arcana hæc quæ humana uenientis captum superant adoranda magis sint quam scrutanda, iudicamus huiusmodi homines quos scripturæ auctoritas, perpetuusq; totius ecclesie consensus nihil commouet, metu poenarucoercendos, & petulantiam ipsorum, profanam curiositatem, & impiam arrogantiam, supplicias reprimendam & castigandam esse. Verum quoniam ita commerentibus nostris peccatis, impia horum dogmata nostra ætate lotius quam ullo unquam seculo sparguntur, neque desunt qui ea cum plausu excipient & tueantur, nobis quoque necessitas di-
sputandi

ſputandi de rebus diuinis imponitur, neque publice
graffante tanta impietate amplius ineffabilia my=
ſteria in silentio uenerari licet. Me quoque inuitum
ad hoc scribendi munus Budnæus pertraxit, libello
sub Magnifici tui nominis inscriptione contra me
publicato, quo non magis me quam ueram & ortho
doxam doctrinam impugnat, quam ego nominatim
quasi prouocatus non defendere piaculum duxi. Et
quamuis audiā eam esse fidei tuę cōstantiā, teq; Dei
gratia & ſpiritu ſic ornatum & perfuſum eſſe, illuſtris et Magnifice domine, ut non fit metuendum ne
leuiculis argumentis aduersarij alio abducariſ, alio
rum tamē cauſa qui in hac controuerſia minus exer
citati, neq; adeo in orthodoxa fide confirmati ſunt,
hanc reſponſionem in publicum edere placuit. Ro=
gamus autem omnes ut ſpiritus diligenter probent
an ex Deo ſint, & expendant numer ex Deo ſit hic
ſpiritus qui honori ſeruatoris noſtri d̄rogat, & cer
titudinem fidai noſtri & labefactat: querant uerita=
tem dogmatum in ſacris literis, ſed ſicut quoq; mo=
dum querendi eſſe, neq; enim Christiana religio A=
cademicam inoxy docet, ſed ſua habet principia fir=
miora Geometrarum & Arithmeticorū principijs &
axiomatibus: & quoniam ſpiritus prophetarum
prophetis ſubiecti ſunt, audiant piorum homi=
num ueterum & recentiorum qui ſacras literas in=
terpretati ſunt iudicia. Falsissimum eſt quod aduersa
rij omnibus persuasum cupiunt, omnes qui ſacrosan=
ctam trinitatem & æternam Chriſti ſeruatoris dei=
tatem aſſerunt, Papistas eſſe. Ausi ſunt ab initio aſſe

P R A E F A T I O.

rere fidem sacrosanctæ Trinitatis in Niceno concilia
lio primum traditam esse, & tum cœpisse sub Silue-
stro Pontificium regnum, & dogma Trinitatis illi
quasi fundamentum substratum fuisse: postquam ue-
ro erroris & mendacij manifesti conuicti fuerunt,
adductis non modo pluribus locis sed integris etiam
libris eorum patrum qui aliquot seculis ante Nicæ-
num concilium uixerunt, & tamen eandem doctrinam
dilucide & constanter tradidere: ne uicti uide-
rentur, omnes qui mox ab Apostolorum atate in ec-
clesia clari fuerunt Antichristos nominare cœpe-
runt. Sed ne ipsi uiderentur parrocinio uetus tatis de-
stitui, omnes fere hæreticos qui Christi deitatem
ueram impugnarunt, inter ueritatis assertores &
aduersarios Antichristi recensuerunt. Que uero
hæc est dementia, pios homines & quorum multi ui-
tam & sanguinem pro ueræ fidei confessione effu-
derūt, quorum una eadem constansq; sententia & per
petuis consensus est, rei scire, & eorum libros mani-
bus hominum excutere, illos autem ludare qui &
in hac doctrina diuersa & contraria docent, cum ta-
men plus uno uerum esse non posse, & præterea eti-
am de aliis partibus Christianæ religionis pleri-
que multa absurdia, falsa & impia docuisse conuincun-
tur? Porro lectionem ueterum non ita commendamus
quod eorum auctoritate uelimus confirmare dogma
ta fidei, ut falso nos aluniuantur Aduersarij, sed cum
iudicio eorum scripta legi uolumus, & ad normam
sacrarum literarum examinari, neque enim aliter
suasipserunt, & dogmata non nuda proponunt,

sed

sed scripturis singula confirmant. Cum enim queritur exempli gratia num logos apud Ioannem intellegi debeat, uel uerbum substantiale aeternum, uel oraculum Dei, uel etiam Iesus homo merus uerbum dictus quia uerbum Dei prædicauit: hic Irenæus, Iustinus, qui Apostolorum successores audiuerunt, & propter fidem Christi mortis supplicium sustinuerunt, docent uerbum substantiale intelligi debere, per quod omnia sunt a Deo condita, & adductis alijs scripturarum locis ostendunt Logon a principio existentem mundum hinc creasse, & cundent hominem creaturam suam in peccatum & mortem prolapsum redemisse & reparasse: eademq; docent constanti consensu omnes p[ro]i doctores & martyres. Contra uero Blandrata cum suis docet Verbi nomine merum tantum hominem significari, & negat mundum ab eo conditum, sed nouum mundum & nouam creaturam tantum a Christo factam finit. Cum autem ipse non tantum a veterum sententia, uerum etiam a perspicuo simpliori & genuino uerborum sensu recedat, cur nam debeo eius interpretationem pro oraculo habere, & veterum interpretationem scripturis plurimis confirmare, si simpliciter rejicare, & Antichristianam nominare? Nunquam probare potui eorum iudicium qui nudo ecclesiæ nomine abutuntur, & patrum sententias omnes absq[ue] iudicio & delectu probandas esse existimant, & falso fingunt consensum vetustatis ad receptos errores tuendos, sed non minus abhorreo ab his qui omnia veterum scripta è manibus hominum

P R A E F A T I O.

excutere, & cuncta simul vna exceptione Antichri-
stianismi nota inurere audent: & consensum vetu-
statis certum & manifestum prorsus contemnere
& petulanter insectari non verentur. Nimis multa
forte de his rebus uerba facio illustris & Magnifice
domine, presertim ad te cui haec nota sunt: sed ut an-
te monui, haec a me non tui docendi & confirman-
di causa scribuntur, sed me rei indignitas cogit
haec attingere, que longe grauiori & uehementio-
ri oratione accusanda erat, idque ut alij caueant hos
seductores, & tuo exemplo constanter in uera fidei
professione perseverent. Ac nos quidem de his ipsis
rebus alias copiosius egimus, & extant doctissimo-
rum hominum scripta contra has blasphemias edita:
nunc uero Budneus qui publice nostra impugnare
& blasphemum dogma, seruato rem nostrum homi-
nem tantum esse confirmare conatus est, responde-
re propositum nobis fuit: quam nostram Respon-
sionem Magnificentie tue illustris domine nunc of-
fero, ac Deum precor ut M.T. in sui agnitione con-
firmet, & ad defensionem ecclesiae conseruet,
donis suis perpetuo augeat, Amen. Ti-
guri pridie Calendas Augusti
M. D. LXXV.

ASSE-

ASSERTIO

ORTHODOXAE DOCTRINAE DE DUBIIS NATU-

ris Christi seruatoris nostri, aduersus

blasphemias Simonis

Budnæi.

10

ANTE QVAM ad confutationem Budnæi qua nostra argumenta euertere conatur accedam, Prefatio nem illius perstringam, idq; breuis sime, nam pleraque vel ad ipsius, vel ad Grochouij personam pertinent, qui cum mihi ambo & que ignoti sint, nisi quod vel ex ipsa Budnæi responsione colligo Grochouium pium modestum & sanæ doctrinæ studiosum esse, hæc omnia absque lectoris incommodo præterire potero, cum nihil ad causam facient. Aegre fert Budnæus famam de se sparsa quod op primendæ veritatis negotium suscepit, sed hanc nō melius confutare poterit, quam si mutato doctrine genere fidem orthodoxam quam nunc oppugnat deniceps defenderit. Nā quod ad propriæ conscientiæ testimonium prouocat, non ignorat sibi responderi posse, hanc proximam ad fallendum viam esse: neq; enim i-

De oppu-
gnata veri-
tate.

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

deo veram causam tuetur et si ipsi ita videatur,
veritas enim non hominum opinione sed sa-
cerarum literarum norma exploranda est. Non
est dubium plerosque Iudeorū qui Christum
& Apostolos persecuti sunt, existimasse se iu-
stam causam tueri et recte de religione sentire,
illos autē quos persequerantur, omnium mor-
talium pessimos esse, sed hæc persuasio & pro-
priæ conscientiæ testimonium ipsos non excu-
sat, aut Apostolos condentiat, vel causam eo-

Nō semper rum deteriorem reddit. Similiter quod se Bu-
sancti sunt dneus tuetur sanctorū exemplo qui persecutio-
qui persecu- nē semper passi sint, ipsum nihil iuuat, alium
tionem pa- de enim prius de bonitate causæ cōstatere opor-
tiuitur. ter: neq; semper est signū veri Christiani perse-
quitionē pari: nam etiam boni nonnunquam
malos persecuti sunt, ut Sara Agaram, & Elias
atq; Iehu Baalitas, & Iosias quoq; idolorū sacer-
dotes: notissimum est causam non supplicium
facerē martyrem: & vulgo dicitur diabolum
quoque iugos habere martyres. Quod deinde
monet ipso expendenda scriptura labore, sedili-
tate, vigilijs & precibus opus esse, id nos quoq;
fatemur, est enim scriptura inexhaustus fons
omnis sapientiæ, quam quo s̄epius & attentius
euoluerimus, eo plus a subinde discenda inue-
niemus. Attamen principia fidei non ita obscu-
re tradita sunt, vt infinita quodammodo per-
vestigatione opus habeant, neque speculationi

scriptura
quomodo
expedida

humanæ subjiciuntur, sed simpliciter traduntur in sacris literis, & regula fidei continentur. Quare sicut negligentia in tractandis sacris literis merito damnatur, ita etiam curiositas, quæ plerumq; vanæ speculationi mentis indulget, coercenda est, vt sciamus quid & quousq; quæ rendum sit, vt recte monet Tertullianus, impietatem hereticorum arguens, qui reiecta simplici ecclesiæ doctrina, alium Deum patrem Christi à creatore mundi se inuenisse gloriantur. Atque illi lamen aliquem quærendi finem fecerunt, nostri vero quotidie quærentes in nullo dogmate persistunt, sed uno inuento mox aliud cudent. Ac miror qua fide Deum in scripturarum meditatione inuocare possint, cuius agnitione carent: neque enim si vera fide & agnitione Dei prædicti fuissent, toties suę de Deo fidei professionem mutassent. Mihi quidem in eo aberrare videntur, quod nō sensum scripturarum ex scripturis pertinet, sed suum sensum his inferunt. Nam non tantum alienus sensus scripturis affirmando obtinetur: vt cum Papistæ sanctos inuocandos esse docent, quia scriptū est, laudate Dominū in sanctis eius: sed etiam negando, veluti cum Christum negant verum Deum & mundi creatorem, quod scripturæ quidem simpliciter asserunt, ipsi vero aperta eius verba de hominis deificatione, &

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

nouæ creature fabrica quæ prædicatione euangelij fiat, interpretantur.

Affectibus
indulgendū Agit postea de affectionibus & præsertim contendendi studio, à quo animus Christiani hominis alienus esse debeat: recte sane, multum enim iudicio officiunt affectus: sed si quid aliquando vehementius dicitur cōtra blasphemias, quales Budnæus cum suis spargit, id non semper tribuendum est vitiosæ affectioni, neque enim ignotum est quāta vchementia nonnunquam Christus seruato et eius apostoli falsos doctores confutarint. Postremus locus est de artificio dicendi, negat se Budnæus lenocinia verborum aucupari, et si non nūnquam videtur velle disertus esse, interim rogo ut meminerit artem bene differendi inseruire interpretationi sacrarū literarum non minus quam linguarum studium: quod si hanc aduersarij ad hiberent suis disputationibus, sæpe minus aberrarent, et si non veteribus patribus, saltem sibi ipsis magis consentanea scriberent.

Primum ar-
gumentum. Primum argumentum quod sibi confutandum desumpsit Budnæus, hoc est. De una eademque natura contradictio simul vere dici non possunt. At de Christo talia dicuntur: quare conficitur distinctas in eo esse naturas quarum respectu contradicentia vere de illo dicantur. In hoc arguento propositionem pri-
mum

mum euertere conatur, deinde illa quoq; omnia labefactare quæ ad assumptionem confirmandam allata sunt. Argumentum ait esse physicū et philosophicū quod nō valeat in scripturis quæ philosophicis rationibus non subijciantur, damnari à Paulo inanem philosophiam.

Philosophiæ
cætationes
an omnes
reijcendiæ
sunt.

Sed cum etiam ipso teste vera quoque philosophia sit quæ non est damnauda, querendum erit num hoc argumentum ex vera, an ex inani illa & à Paulo damnata philosophia desumptū sit. Puto autē veram philosophiam hanc esse, quæ ex creaturarū notitia & principijs à Documenti humanæ insitis colligitur, atque hæc non sibi subiicit theologiam sed illius est sedis sequa: sed hanc humanis inuentis & ambitiosis certaminibus philosophi vitiarunt, neque se intra præscriptos limites continuerunt: hanc philosophiam Paulus inanem deceptionem secundum hominē traditionem & elementa mundi vocat. Sic quidam philosophorum docuerunt mundum esse æternum, alij ex atomorū cursu factum esse voluerunt: neutrā in natura ostendit, sed vanæ cogitationes ipiorum confinxerunt: idem de multis alijs philosophorum dogmatibus dici potest, quæ non ex naturali lumine & propositionibus per seiphas notis certis rationibus deducta sunt. Sed hæc regula contradictionis nequaquam in hoc nume

Regula con
tradictionis

ASSER. ORTHOD. DOCT.

ro poni debet, nam cum ipsa per se nota est, tum ex illo notissimo principio deducitur; non posse aliquid simul esse & non esse: aut simul verum esse & falsum: quo principio labefactato, quæ nam in rebus certitudo & veritas inuenietur? Neque quia hoc natura notum est, ideo in sacrarum literarum tractatione locum non habet, quod enim verum est, semper et ubi que verum est, & notitias has menti inditas Deus non euellit verbo suo ex mentibus hominum. Possunt forte aliqua nobis vera videri quæ tamen non sunt vera, aut saltem in certa et definita materia vera sunt, ibi cum scriptura contrarium pronunciat, illi merito acquiescendum est; nam etsi regula ipsa vera sit, cum tamen scriptura exceptionem apponit, illam recipimus, neque tamen ideo regula tollitur. Ut notitiae naturali repugnat virginem parere; sed cum scriptura doceat, Christum seruatorem ex virgine natum esse, nemo pius est qui de hoc dubitet. Sed nullus locus scripturæ proferi potest, quo demonstretur contradicentia de eadem natura simul & semel eodemque respectu vere dici posse: aut quod hinc consequitur, aliquid simul verum & falsum esse, simul esse et non esse. Nam quæ Budnæus hic assert ex scripturis ad nostram rationem labefactandam, ea nequaquam sunt contradicentia. Ioannes est prophete-

propheta & plusquam propheta: & Ioannes non est propheta, Ioannes est Helias, & idem non est Helias: Ioannes erat lucerna ardens & lucens, & non erat lux illa quæ illuminet omnem hominem venientem in mundum. Pij credentes in Christum non morientur in æternum, & omnes pij credentes in Christum mortui sunt. Vidua in delicijs viuens mortua est: itaque viua & nō viua, mortua & non mortua est. In omnibus enim his enuntiationibus attributum enuntiatūr homonymos, & aliter in affirmatione aliter in negatione accipitur: ideoque quia de eodem subiecto diversæ res affirmantur & negantur, non est contradic̄io. Putat se nodos insolubiles connexuisse, & se hic aliquantulum iactat quasi solui & secari non possint, cūm nihil nisi arenam connectat absq; calce. Vidua in delicijs viuens mortua est. Sole inquit aut seca si mavis mundum hunc, an nō viuere et mori contraria sunt quæ de eadem vidua affirmātur? Sed dic mihi bone Budnē quæ est vita qua viuit delicijs indulgēs vidua? an non illa vitalis & animalis vita, qua corpus nostrum ab anima vniuiscatur? mori autē num hic intelligis animæ & corporis solutionem? non opinor poteris dicere Paulū de hac morte loqui, sed potius quod Christo mortua sit: non ergo mors hæc illi vitæ opponitur, & mori at-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

que viuere hic non sunt contraria , cum mori de spirituali morte, viuere de animali & corporali vita dicatur. Non ignorat Budnæus qui artem differendi vel in iuuenta degustauit, quæ sint veræ oppositionis aut contradictionis leges, quare miror eum hæc ausum esse proferre, quibus forte rudibus fucum facere & oculos perstringere potest: at vero vel mediocri iudicio prædicti homines quid aliud de ipso censere possunt, quam ipsum vel stupidum esse qui hæc non animaduertat, vel improbum si videt suarum rationum infirmitatem nihilominus his existimat se posse omnis veritatis regulam euertere? Quo enim hæc omnia tendunt, nisi ut probent contradictionia simul vera esse posse. Si enim vni eidemq; naturæ seu substantię simul & semel contradicentia vere attribui possunt, simul quoque vera esse possunt, hoc si verum est, nihil vero nobis constabit, omnis enim intelligentiæ et notitię fundamenta hac sententia euertuntur. Verum existimat forte se non posse commodius oppugnare veram Christi agnitionem, quam si prius generalē regulam veritatis mentibus nostris à Deo insitam debeat, & omnia faciat incerta, atq; totam rerum universitatem confundat.

Quoniam vero hanc responcionem infirmam nouit, neque ipse forte huic confidit, alia

via

via rem aggreditur, & assumptionem nostri argumenti, quod scripturæ de vno eodemque Christo contradicentia affirment, negat, & ea quæ à nobis adducta sunt ad hoc comprobandum, singulatim labefactare conatur. Primum vero è contradicētibus à nobis propositis fuit, Iesum in Bethlehem natum tempore Octauij Augusti: & eundem ante Abrahamum imo ante conditum mundum extitisse. Negat hæc pugnare inter se, natiuitati enim in Bethlehem factæ, opponendam fuisse natiuitatem in cœlo, aut innascibilitatem. Sed hoc loco nobis non fuit questio de natiuitate Christi, alibi eiusdem natiuitatem æternam & temporariam, diuinam & humanam ex scripturis ostendimus, & deinceps in secundo argumento de hoc disserendum erit: sed hoc tantum voluimus ostendere, scripturam tribuere Christi natiuitatem, hoc est initian existentiæ, certe & definito tempore, & tamen alibi docere quod ante hoc initium extiterit, ideoque non tum primum existere cœperit quando natus est: quæ certe manifestam pugnam habent: quare de Christo abs que respectu diuersarum substantiarum vere affirmari non possunt: Verum aliud latibulum querit Budnæus, & negat verbum SVM sim. pliciter accipiendum esse, idq; sic probat, Qui de se dixit, Antequam Abraham esset ego sum,

Christus na
tus tempore
Octauij
ante Abra
hamum fuit

ASSER. ORTHOD. DOCT.

hic fuit Iesus Christus Nazarenus Dei & Dauidis & Mariæ filius : non autem spiritus aliquis æternus qui fuerit Dei filius. Iesus autem hic antequam Abraham masceretur, non erat eo modo quo tum cum ista loquebatur erat. Ergo verbum S V M quo se ante Abraham fuisse ait, nō est substantiue & simpliciter accipendum . Antequam argumenti huius partes expendamus, primum obseruanda est conclusio- nis fallacia, nam eodem modo argumētari possum , Qui dixit latroni , Hodie mecum eris in paradiſo, is fuit Iesus Nazar. corpore suo cruci affixus. Sed hic Iesus non fuit in Paradiſo talis qualis erat in cruce : Ergo latro non fuit cum eo in Paradiſo: manifesta est fallacia secundum quid ut in scholis loquimur. Corpore non fuit in Paradiſo, non tamen inde conficitur, simpli citer non fuisse; eademque fallacia est in altero quoque argumēto. Non fuit ante Abrahamū eo modo quo tum loquebatur , vt homo esset corporaliterque existeret, at non inde sequitur nullo modo ante fuisse. Ut autē firmum sit ar- guimentum , oportet in propositione affirma- re quod Iesus hic fuerit tantum merus homo, quod quidem facit Budheus negans hunc fuisse spiritum æternum : verum si spiritum ab ho- mine separat, & duo factit indiuidua, negamus nos quoq; hominem fuisse spiritum æternum:

cum

cum vnuis idemque sit spiritus aeternus qui ho-
mo factus & ex virgine natus est , non aliis,
& aliis , quamvis alia spiritus alia hominis sit
natura : hoc si ille negat, sumit pro argumento
id quod in controversia positum est , & utitur
Elencho petitionis principij cuius nos arguit.
Similiter assumptionem , Iesum non fuisse eo
modo ante Abrahamum quo tum erat cum lo-
queretur, libenter damus, eum scilicet corpore
suo non extitisse neque incarnatum fuisse : sed
non ideo sequitur prorsus non extitisse : quod
si ita accipit ante Abrahamum non fuisse ~~inap-~~
~~erit~~ quia tum erat substantiae : minorem nega-
mus, quippe eodem paralogismo laborantem.
Videat ergo Budnæus quo iure nos accuset
quod utramur petitione principij omnium ar-
gumentationum ineptissima. Nam alijs nunc
omissis ~~que~~ ritur hic de significatione huius vo-
cis S V M, hæc autem absolute posita, ut hoc lo-
co, proprie significat rei existentiam, omnium
enim consensu verbum substantia ~~sum~~ absolute
& simpliciter positum ~~inap-~~ accipitur. Pro-
fert quidem exempla quibus hoc infirmare co-
natur, primum verba Christi Mathei ultimo:
Ecce ego vobiscum sum omnis diebus usq;
ad consummationem seculi. Christum autem
ait non substantia sua sed tantum sola virtute
nobis adesse. Sed hoc pro confessio sumit, quod

ASSER. ORTHOD. DOCT.

nos omnesque pij constanter negamus. Deinde non est hæc prædicatio similis alteri , aliud enim est aliquid esse cum aliquo , aliud simpliciter esse. Similiter in altero exemplo de Antichristo nusquam verbum substantiuum absolute ponitur ut non substantiue significet, ponitur quidem aliquoties ut copula, sed non absolute de Antichristo prædicatur. Loquitur autem Apostolus de Antichristo venturo in praesenti tempore more prophetarum, qui res venturas spiritu cernentes describunt quasi praesentes, ut clare indicent quales sint futuræ, interim aperte indicatur Antichristum non iam esse seu venturum esse. Verum longe alia ratio est verborum Christi de quibus nunc agimus, Christus enim se asserebat Dei filium, & docebat eum qui seruauerit mortem non visurum in æternum: hoc Iudei cum ferre non possent, obijciunt illi Abrahami exemplum , Num tu maior es patre nostro Abraham qui moarus es? quem tu te ipsum facis? quibus Christus respondet, Abraham pater uester gestiuit ut videret diem meum, & vidi & gauisus est. Illi vero, Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti? Respondet Iesus, Amen Amen dico vobis, priusquam Abraham fieret ego sum. Vult Budnæus Christum ante Abrahamum fuisse, quia ante à Deo promissus

missus fuerit ab initio mundi, & semper crede
batur & sperabatur à fidelibus. Sed si ita acci-
pienda sunt verba Christi, non satis est idonea
responsio ipsius, neque enim hoc modo proba-
ret se Abrahamo maiorem aut Abrahamum à
se visum, cum non tantum Christus sed Israeli-
tica gens, numerosa inquam eorum posteritas,
Abrahamo promissa fuerit. Quæstio fuit de ip-
so esse substanciali, Iudæi negabant Christum,
qui nondum quinquagenarius esset, potuisse
Abrahamum videre, contra Christus se in-
quit antequam Abrahamus fieret esse: ubi non
de alio E S S E loquitur quam de quo quæstio
erat. Et longe alia est dixōrū in verbis Christi,
Antequam Abraham (is de quo tantopere glo-
riamini) Fieret et nasceretur, ego inquit S V M
non dicit fui, ne se creaturis cu Abrahamo
annumeraret, hoc enim modo Angeli quoque
& tum erant & ante Abrahamum fuerant, sed
dicit S V M, vt nunc reuera sum & subsisto, ita
etiam longe ante Abrahamum cōsta ter idem
sum: atq; hoc verbo sibi vendicat existentiam
nulli tempori subiectam quæ semper eadem
manet. Ut autem retineamus simplicem sen-
sum substantiæ vocis multâ nos mouent loca
scripturarum, quæ testantur Iesum Christum
esse Dei filium & Deum; omnia ab ipso condi-
ta, mundum per eum factum esse: quæ nos sim-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

pliciter intelligimus. Aduersarij vero non tantum in præsentis loci explicatione sed in omnibus alijs quibus nomé & opera et gloria Dei Christo attribuitur, à genuino proprio et nativo sensu verborum recedunt, tantum ob hanc causam, quia sibi persuaserunt Christum meum hominem esse, & quia mysterium angelis quoque admirandum & adorandum ratione comprehendere non possunt, impugnāt id & damnant.

Alterum locum ad cōprobādum filium Dei habuisse suam subsistentiam, siue re ipsa & vere extitisse antequam nasceretur ex virgine, addūcimus ex cap. 17. Ioannis: Nūc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria quam habui apud te priusquam hic mundus existeret. Verba hæc sunt Mediatoris nostri, quibus iam accessurus ad passionem, hoc est sacrificium expiatorium pro nobis offerendum, cœlestem patrem his verbis precatur. Gloria autem eius, est diuina ipsius maiestas & gloria: assumptus enim carne siue serui forma, erat quidem sed non agnoscebatur verus & æternus Dei filius: deinde etiam carotum adhuc infirmitati obnoxia suam habet gloriam, qua glorificata est resurrectione à mortuis quando corruptibilitatem cargo exuit, & mox ascensione in cœlos, & sessione ad dexteram in summam

mam gloriam euecta est. Atque han^c g^{loriam} Christi Paulus describit Philip. 2. quod Deus ipsum in summam extulerit sublimitatem, ac donarit ei nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum: omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad gloriam Dei Patris. Petit igitur his precibus Mediator noster non tantum humanae naturæ glorificationem, sed etiam illustrem patefactionem & declarationem diuinæ suæ maiestatis quam apud Patrem habuit ab æterno. Budnæus veterem hereticorum interpretationem repetit, quod Christus ante conditum mundum non reuera, sed tantum prædestinatione gloriam habu^c habuerit. Ac duo obijcit, Christū dicere gloriā habu^c sion apud seipsum habuisse, sed apud patrē. Si autē ante orbis existentiam inquit Christus re ipsa fuit, vtq; gloria illa fruebatur, ergo eām apud seipsum habuit: cur igitur nunc dicit eandem apud Patrem habuisse? Fallitur autem eo quod putat ex eo quod apud Patrē gloriam habuit, confici ipsum in seipso eandem non habuisse: quod si non pudet ipsum ad dialecticoru^m scholas redire, discat ab illis gloriam esse ex earum rerum genere quę alio referuntur, & tum videbit quomodo & in se habuerit Christus gloriā

ASSER. ORTHOD. DOCT.

& simul quoque apud Patrem habuerit. Quæro etiam ab ipso quando à Patre glorificatus est, an non etiam nihilominus apud Patrem gloriam suam habeat, an vero apud Patrem contemptus & abiectus sit? Quod si nunc Christus & apud semetipsum gloriam suam habet eaq; fruitur, & nihilominus apud Patrem quoque suam gloriam habet, potuit etiā ante conditum mundum eandem simul apud semetipsum & apud Patrem habere. Illam igitur gloriam quæ ante soli Patri conspicua & nota erat petit nunc patefieri & declarari, ac petit etiam quod humanam naturam apud Deum Patrem in cœlesti regno glorificari. At inquit Benedictus si ante orbem fabricatum Christus personaliter erat, & gloriam eam realiter habebat, cur nunc pro ea accipienda patrem orat? Habuit gloriam Deitatis, humanitas autem nondum glorificata fuit: sed tamen non absurdum est cum petere glorificationem, quamvis gloriam reip; ab æterno habuerit. An non enim Pater ab æterno gloriam suam habuit, & tamē Christus inquit, Pater venit hora illa, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te? An non Filius qui hic petit glorificari, ante hanc precationem dixit, Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in eo? Ait,, etiam similem esse argumentationem, Fideles electi

electi sunt ante iacta fundamēta mundi: Ergo
fuerunt ante conditum orbem: Et Christus ha-
buit gloriam ante orbem conditum, ergo reip-
sa ante extitit. Sed valde lusciosus imo cæcus
est, qui hæc non videt differre. Electio non o-
pus habet rei eligendæ præsentia, imo in scri-
pturis electio hæc sæpe voce prædestinationis
explicatur, itaque fideles vere & simpliciter di-
cuntur electi in Christo ante iacta mundi fun-
damenta quamvis tum re ipsa non fuerint: at
Christus si non extitit non potest vere & sim-
pliciter dici gloriam habuisse ante mundum
conditum. De electione docent nos sacræ lite-
ræ electionem esse destinationem, nusquam au-
tē verbum, Habui, quo Christus hic vtitur, per
prædestinationis verbum explicari. Imo alia
loca docent Christum re ipsa tum fuisse & glo-
riam suam habuisse, vt Philip. 2. dicitur fuis-
se in forma Dei & æqualis Deo, sed exinan-
uisse se ipsum, quum assumpta serui forma ho-
mo factus est: si gloriam non habuit re ipsa, quo-
modo se exinanire potuit? Quid vero maiusce-
teris hominibus pijs Christo tribuunt: an non
ipsi quoque suam gloriam ad quam destinati
sunt, etiam ante cōditum mundū habuerunt?

Altera probatio quod quædam contradicen-
tia de Christo dicantur, desumpta fuit ex ter-
tio capite Ioannis: Nullus ascendit in cœlum,

Filius hor-
inis qui
è cœlo de-
scendi & est
in terra, idē
est in cœlo.

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis qui
est in cœlo. Quibus verbis Filius hominis qui
descendit è cœlo & in terra loquebatur cum
Nicodemo, dicitur esse in cœlo: pugnant autem
hæc esse in cœlo, & ex cœlo descendisse & in
terra esse. Hanc pugnam theologi ita concilia-
runt, quod Filius hominis qui secundum na-
turam diuinam è cœlo descendit, non motu lo-
cali sed œconomiae ratione assumpta carne, is
in terra loquebatur cum Nicodemo, & quan-
tum ad carnis suæ naturam non erat in cœlo,
idem tamen in cœlo & ubique etiam erat di-
unitatis suæ substantia. Nam de humana tan-
tum natura verba Christi non possunt intelli-
gi, tum quia illa non descendit è cœlo, tum e-
tiam quod non sit immensa ut simul in cœlo et
terra esse possit. Budnæus inquit in his verbis
" tropum est, atque hunc sic explicat: Quod de-
scendere è cœlo nihil aliud sit quam animo &
moribus se deicere, nihilque sibi ipsi corâ Deo
dignitas tribuere, simul vero cœlestè vitam
vivere. Ascendere autem nihil aliud esse quam
à Deo sublimari omniisque beatitudine locu-
pletari: ut sit hic sensus verborum Christi: Ne-
mo à Deo beatus efficietur, nisi ille qui sese prí-
mum deiecerit, ac cœlestem vitam in terris vi-
uere contenderit, atque talis est ipse filius ho-
minis. Hoc illius quidem explicatio est, qua-

primum

primum non est vera & ubi consentanea, deinde nostrum argumentum nō labefactat. Nō negamus esse tropum in verbo descendendi et ascendendi, quando loquimur de diuinitate quæ vbiq; præsens omnia implet neq; de loco ad locum mouetur: quare descensum ē cœlis nos quoq; diuinæ naturæ non nisi per tropum tribuimus: & quamuis hic nominetur Filius hominis, non tam ē ideo excluditur diuina natura, nam vnuſ & idem est Filius hominis qui etiam est filius Dei, neq; alius est Deus, alius Homo, sed vnuſ idemq; Iesus Christus Deus & homo est. Quomodo vero hic ē cœlo descendit, & ascenderit, Aduersarius noster inquit Paulum ad Philippens. clare & absq; tropo do cere, quem locū integrū adscribam, quoniam Aduersarius noster ea quæ contra ipsum facie bant omisi. Is (inquit) sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Iesu: qui quum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse se exinanivit forma serui accepta, similiſ hominib⁹ factus: & habitu compactus ut ho mo, ipſe ſe ſumisit factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in ſumma extulit ſublimitatem, ac donauit ei nomen quod est ſupra omne no men: vt ad nomē Iesu orne genu ſe flectat cœleſtium atq; terreftrium & ſubterraneorum:

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

omnisq; lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad gloriam Dei patris. Descensus de cœlo interpretatur quod Christus humiliem se præbuerit & obediens factus sit usq; ad mortem crucis: sed hic non explicatur quis tropus sit in nomine cœli, descensum quidem per humiliationem & obedientiam explicat, cœli autem nomen non explicat: confert Christi descensum & nostrum, quod nos primum nos ipsos deijscere oporteat & cœlestem vitam viuere in terris ut à Deo beati efficiamur: at illa nostri deiectione non aliud est quam abiectione falsæ opinionis, neq; enim in cœlo & summo aliquo gloriæ fastigio constituti sumus è quo nos vere descendere oporteat: hoc idem si de Christo affirmare audet, quis pius feret tantab asphemiam? Iudicent etiam docti homines quam bene consentiat hæc interpretatio, è cœlo descendere, idem esse atque cœlestem vitam in terris ducere. Paulus Christo tribuit Formam Dei, & quod par aut æqualis fuerit Deo patri: descensum autem explicat, quod non duxerit rapinam esse parem Deo: quod inquam non permanenserit in ea æqualitate, sed se exinanierit, forma serui accepta, hominibus similis factus per omnia excepto peccato. Hæc non conueniunt Christo, si tantum merus homo fuit iuxta Aduersarios, merus enim homo nō est in

est in forma Dei, aut æqualis Deo. Et quamvis Ambrosius solus ex veteribus hunc locum sic interpretatur, ut Christo incarnato tribui hic dicat formam Dei & æqualitatem cum Deo, non tamen hæc tribuit mero homini, sed inquit Apostolum hæc scribere de filio Dei incarnato cum homo factus est, de Iesu Christo Deo & homine. Atque idem ostendit argumentum Pauli infirmum & nihil esse si Christus tantum homo fuisset: si homo inquit Deo patri obediuit, quid magnum esset quod dixit Apostolus? Sed hoc magnum dicit, quia cum æqualis esset obediuit. Et quid laudis est si in similitudinem hominis factus est homo, ut homini similis factus homo dicatur? Sed nec potest fieri. Nemo enim in similitudinem fit alicuius, nisi alius sit antequam fit in similitudinem cuius vult. Per causam enim similis factus est, non per substantiam. Et quis est qui se exinanivit homo? &c. Exinanitione Christi opponitur exaltationi, sicut descensus è cœlo ascensioni in cœlos: oportet ergo hunc qui descendit cœlo ante in cœlo fuisse, quicquid tandem cœli nomine intelligamus: nam etiam Ioannis 6. Dominus ait, Quid si videritis Filium hominis eo ascendenter ubi prius erat? Et qui exinanitus est, prius eam gloriam habuit quam per exinanitionem ad tempus quasi

ASSER. ORTHOD. DOCT.

exuit & depositus ad quam tamen rursum exaltatus est, ut acciperet nomen Dei: hoc autem de humana natura sola & in se subsistente dici non potest. Quapropter interpretatio Aduersarij qui descensum e cœlo humanæ tantum naturæ seu mero homini tribuit, & nihil aliud quam eius humilationē esse vult, nequaquam cum Paulina sententia congruit, Neque sibi ipsi satis consentanea est, nam si-
cū ascensus & descensus inter se opponun-
nuntur, ita cœli nomen utrobique eandem
significationem habere debet, etiamsi per tro-
pum ut Aduersarius contendit id explicare
velimus. Si igitur ascensus in cœlum est à
Deo sublimari omniq[ue] beatitudine locuple-
tari: oportet descendam e cœlo esse deiectionem
atque expolationem omnis beatitudini-
nis: quomodo hoc pie tribuatur Christo ipse
viderit, quomodo item hominibus non renati-
s, qui cum non habuerint beatitudinem,
nec in cœlo fuerint, quomodo ex eo descen-
disse dicendi sunt? Veruntamen argumen-
tum nostrum non in antithesi descensus & ascen-
sus positum fuit, sed in eo quod Filius hominis
loquens in terra cum Nicodemo simul etiam
erat in cœlo. Respondet in cœlo esse, idem esse
atque vitam cœlestem in terris viuere: antea
descendere e cœlo idem illi fuit atq[ue] vitam cœ-
lestem

Iestem in terris viuere: quæ vero hæc ratio est,
 cum diuersa sint in cœlo esse, & descendisse
 è cœlo, vt eadem sit vtriusque interpretatio?
 Paulus inquit scribit nos resurrexisse cū Chri-
 sto, & cum ipso sedere in cœlestibus, hæc au-
 tem verba eius per tropum intelligenda sunt,
 ergo etiam illa Christi ad Nicodemum. Egre-
 giam vero consecutionem, vt quia semel no-
 men aliquod per tropum ponitur, necesse sit
 vbique id per tropum explicare. Neq; tamen
 probat hoc loco Pauli, nomen cœlestium per
 tropum necessario accipiendum esse. Sedere
 nos fecit Deus seu collocavit in cœlis in Chri-
 sto Iesu. Quæro an viuificationem, resurrectio-
 nem, & collocationem in cœlis iam habeamus
 nec ne? non poterit dicere nos hæc in præsen-
 ti vita habere nisi tantum in spe: quod si de per-
 fectione beatitudinis, quam post hanc vitā ha-
 bituri sumus hæc recte intelligantur, non ne-
 cessè est nobis tropum ullum verbis Pauli af-
 singere: nos enim ex scripturis dídicimus &
 in articulis fidei confitemur, Christum serua-
 torem nostrum non tropice sed vere & re ipsa
 corpore suo in cœlum ascendisse, & cœlo con-
 tineri vsque ad id tempus quo inde redditurus
 est ad iudicandum viuos & mortuos: illic nos
 iam sedemus, non ipse substantialiter sed in
 Christo capite cuius membra sumus, illic col-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Iocandi quū nos quoq; Christus definito tempore ad se assumpserit. Neq; contraria sanctis tribuuntur cum dicuntur vna cum Christo collocati in cœlis in ipso Christo , & cum in corpore suo ijdem peregrinantur à Domino, & cruce premuntur: cum alterum potentia, alterum actu illis tribuatur, vt hæc Scholastico more distinguamus. Aut si hoc non satis facit, quæro an corpore dicas sedere in cœlestibus, hoc est corpora ipsorum iam frui promissa illa cœlesti beatitudine, libera à vitiositate peccati & omni corruptione? hoc si dicas, omnium piorum communis consensus , & quotidiana experientia te confutabit, itaque necesse est ut secundū spiritum sedeant in cœlis. Quod vero premuntur cruce & peregrinantur à Domino, num id quoque spiritui tribues, & non potius carni? Nam vero vna eademq; natura est carnis & spiritus?

Christus o-
mnia nouit,
& tamen
diem iudi-
cij ignora-
bit.

Tertium exemplum contradicentium, quæ vni Christo in scripturis tribuuntur, illud fuit, Christo tribui omniscientiam, & tamen rursus Christum ipsum dixisse Filium hominis diem iudicij ignorare. Hęc autem veterum plerique ita explicarunt, quod Christus sit omniscius secundum diuinam naturam, sed ignoret quedam secundum humanam naturam. Noster vero Aduersarius contendit vniuersalē enun-
tiatio-

tiationem, Christum scire omnia, restringendam esse, hoc est, negat Christum esse omniscium: atq; hęc est gloria quā Christo tribuit, vt homo temerarius scientiæ illius limites ponere audeat quos non egrediatur. Ac videbitur forte alicui verisimile Apostolos quo tempore dixerunt Christo, Nunc scimus te scire omnia, nec opus est tibi vt te quis interroget: hęc non de absoluta omniscientia dixisse, sed futurorum maiorem præscientiam Christo quām vlli aliorū prophetarum tribuisse: neque cum his nunc contendemus, et si non defundit quę in contrariam partem obijci possunt; nam vt illi maxime tum ita de Christo senserint, accepto tamen spiritu sancto, plenam & solidam cognitionem Christi adepti non dubitant illi absolutam omniscientiam tribuere. Paulus nominat Christum sapientiam Dei, 1. Cor. i. item in Christo ait omnes thesauros sapientię & cognitionis absconditos esse: nū vero credendum est sapientiam Dei aliqua ignorare: aut quis dicet thesauris sapientię & cognitionis quicquā deesse? quasi vero aliqui horum euacuati sint: Dominus ipse in Apocalypsi 2. ca. se inquit illum esse qui scrutatur corda & renes, quo elogio prophetæ Dei omniscientiam prædicant. Christo soli tribuitur Dei cognition, & patescens, Deum nemo nouit un-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

quā, vnigenitus Filius qui in sinu Patris est e-
narravit nobis: quomodo ergo Filiū Dei quic-
quam humanarum rerum lateret? Et cum tam
multa prædixerit Christus de statu extremo-
rum temporum, & signa quæ aduentum suum
præcessura sunt, & ad ipsum extremi temporis
articulū pertingunt, tam diligenter indicarit,
quomodo quæso illi adimetur in vniuersum
cognitio diei illius? Silibebat Aduersario à ve-
terum vſitata interpretatione recedere, pote-
rat saltem cum quibusdam ita Christi verba in-
terpretari, quod non quidem ignoraret diem
iudicij, sed quod non nosse idem hic sit, nolle
alios sc̄ere nosse, aut testari sibi notum esse: si-
ecut Deus dicitur non nosse impios, & rursus
pij dicuntur à Deo cogniti. Verum hic tantum
Arianorum impietatem superat, ut non solum
extremæ diei cognitionem Christo adimat, ve-
rum etiā scientie illius terminos satuat. Hoc
modo præclaristi noui prophetæ scripturas
conciliant, & nugas amputant, ita enim vo-
cant sanam doctrinam de duabus naturis Chri-
sti, qua seruatori suus honor & vera diuinita-
tis gloria asseritur.

II. Argu- mentum.

Christus est
Dei & ho-
minis Filius

Alterum argumentum nostrum tale fuit:
Vnus idemq; Christus & Dei Filius & homi-
nis Filius nominatur: est autem Filius homi-
nis secundum carnem: hoc est humanæ natu-
ræ ra-

ratione, ergo Filius Dei est alio quam humanæ naturæ respectu. Nam unius & eiusdem naturæ respectu non potest Dei & hominis Filius dici, nisi alterum figurate dicatur: sed Christus vere & absq; tropo est & dicitur tam Dei quam hominis Filius, verus & naturalis, non adoptiuus aut nuncupatiuus: quare necesse est aliam in eo esse naturam præter humanam. Respondet Aduersarius, non esse alium Dei filium quam illum ipsum hominem Iesum ex Maria natum. Hoc autem ambigue dicitur, non minus quam si dicerem non alium esse Christum quam qui de cruce depositus a Iosepho in sepulchro usq; ad tertium diem iacuit: aut hunc esse verum Christum qui animam latronis secum crucifix assumpsit eodem die in paradisum. Hæc enim si de tot hypostasi intel ligantur recte dicta sunt: sed si vel animam vel corpus Christi abnegare & ab eo separare velim, quia nec anima in sepulchro iacuit, neque corpus eo die in paradiſo fuit, me to explodar ab omnibus pijs. Similis est ratio huius propositionis, non agnoscimus alium Christum & Filium Dei quam Iesum conceptum ex spiritu sancto & natu ex Maria virgine: æternus enim Logos non est alius, sed is qui ab æterno fuit idem etiam assumptus humana natura secundum carnem ex Maria natus est: unus enim

ASSER. ORTROD. DOCT.

tantum Christus est, sed ex hac unitate personæ non licet inferre unitatem naturæ. Paulus inquit se nihil nosse præter Iesum Christum eumq; crucifixum: Christus quem Simeon in vlnis tenuit, nondum crucifixus erat, & tamen idem non aliud Christus fuit. Sic Ioannes inquit omnia condita esse per Logon, hic Logos non aliud est à Iesu Christo Filio Mariæ, quamvis nondū ex Maria natus esset. Sed Logos hoc est Verbum & Filius Dei ab æterno Patre incomprehensibili modo ante omnia secula seu ab æterno ex sua substantia genitus, si enim anterior esset naturæ vel substantiæ, vere Filius non esset, hoc inquam Verbum caro factum est, non suæ nature mutatione sed humanae substantię assumptione, & natum est secundum carnem ex semine Dauidis. Atq; & non sunt aniles fabule, non Siculæ gerre, ut impuro ore hæc vocat Budnæus, qui tamen ita recitat ecclesiæ sententiam ut vel non intelligat, vel depravet recte intellecta: quorum alterum est impudenter stultiæ non intellecta damna re: alterum summe improbitatis consulto deprauare & in alienum sensum Aduersarij dicta detorquere. Quoniam vero doctrina hæc non tantum perpetuo & indubitate consensu orthodoxæ ecclesiæ, sed plurimis scripturarum testimonij confirmatur, appareat manifeste

Aduer-

DE DVAE NAT. CHRISTI. 24

Aduersarium nostrum omnem pudore exuisse, qui tam confidenter affirmet ne unicam quidam sententiam ex sacris literis a nobis proferri, de aeterna generatione Filij Dei, qui Deo Patri aequalis & ex eius substantia genitus sit. Commemorare hic testimonia scripturæ quibus doctrina orthodoxa confirmatur, sed quia & in alio opere hoc fecimus, & multi viri doctissimi & præcipue summus Theologus D. Hieronymus Zanchius idem argumentum copiose tractauit, cuius libros se confutaturum noster Aduersarius iactat, huic labori parcere volui, & expectare ut prius promissa haec noster ille Goliathus praestet, & si possit non tam Zanchi quam piorum omnium argumenta ab illo explicata euertat. Ceterum suam opinionem, quod Iesus merus homo Dei Filius sit, idque tantum humanae naturae ratione, probat verbis Angeli Lucæ 1. Spiritus sanctus superueniet supra te (ita enim Budinus interpretatur) & virtus Altissimi supra obumbrabit tibi: ideoque quod nasceretur ex te sanctum, vocatur Filius Dei. Atque hinc concludit hominem ex Maria natum ideo tantum vocari Filium Dei, quia conceptus est ex Spiritu sancto. Sed huic argumento pro me respondeat Tertullianus, qui hereticis idem obijcientibus in hunc modum respondit. Sed enim scriptura divina hereticorum fraudes & furta facile convincit & detegit.

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Si enim sic esset tantummodo, Spiritus veniet
in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, pro-
pterea quod nascetur ex te sanctum, vocabi-
tur Filius Dei, fortasse alio esset nobis genere
aduersus illos reluctandum, & alia nobis es-
sent argumenta querenda & armasumenda,
quibus illorum & insidias & præstigias vin-
ceremus. Cum autem ipsa scriptura cœlesti
abundans plenitudine, sese hæreticorum isto-
rum calumnijs exuat, facile ipso quod scri-
ptum est, nitimur, & errores istos sine vlla du-
bitatione superamus. Non enim dixit ut iam
expressimus, Propterea quod ex te nascetur,
sed adiecit coniunctionem. Ait enim, Propte-
rea & quod ex te nascetur sanctum: ut illud o-
stenderet, non principaliter hoc sanctum quod
ex illa nascitur, id est istam carnis corporis-
que substantiam, Filium Dei esse principa-
liter autem Filium Dei esse verbum Dei in-
carnatum per illum spiritum de quo Ange-
lus refert. Spiritus veniet in te, & virtus Al-
tissimi obumbrabit tibi. Hic est enim legiti-
mus Dei Filius qui ex ipso Deo est, qui
dum sanctum istud assumit, & sibi Filium
hominis annexat, & illum ad se rapit at-
que transducit, connexione sua & permisio-
ne sociata præstat, & Filium illum Dei fa-
cit, quod ille naturaliter non fuit, &c. Ne-
que

que tantum Tertullianus sed Epiphanius eodem modo coniunctionis singularem energiam in hoc loco obseruauit: Atque cum noster Aduersarius in his Angeli verbis præpositiones omnes tam diligenter in priore membro obseruarit & expresserit, cur in posteriore coniunctionem (*καὶ τὸ μέσον*, id etiam quod nascetur) omisit? vix videtur hoc incuria quadam & non potius dolo malo factum esse. Non autem veterum hæc interpretatio vnius voculae aut syllabæ significationi tantum innititur, sed multorum consentientium scripturarum testimonia confirmatur. Ioannes testatur Verbum quod erat Deus, & per quod omnia facta sunt, carnem factum esse. Item Filium Dei venisse in carne. In epistola ad Hebreos describitur Filius Dei per quem Deus mundum condidit, qui est splendor gloriae & character personæ filii, & omnia sustinet verbo potente, hic inquam ad quem dictum est, Tu initio Domine fundasti terram & opera manuum tuarum sunt cœli, est ille Filius Dei qui purgationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit, & ad extram maiestatis fedit.

Porro quod nostrum argumentum attinet, respondet Aduersarius carnis nomen accipi quidem saepe pro humana natura, sed cum dicunt secundem carnem, tum esse antithesim car-

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

nis ad spiritum, et ita non significari humanam naturam, sed idem esse atq; non secundum spiritum. Ludit autem denuo Sophistarum more ~~in~~ vocum, neq; enim negamus carnem opponi spiritui, & antithesim esse inter has locutiones, secundum carnem & secundum spiritum: sed dicimus non ubique idem significari nomine spiritus. In epistola ad Galatas cap.

4. proponuntur duo filij Abrahaci Ismael & Isaac, quorum Ismael ex ancilla secundum carnem natus est, Isaac vero ex hibera secundum spiritum, siue per promissionem ut Paulus ipse interpretatur. Hic igitur significat naturam ordinariam, qua Ismael ex Agar quae ad concipiendum per aetatem idonea & apta erat, natus est: Isaac vi promissionis, & singulari Dei beneficio ex Sara quae iam effecta erat genitus fuit. Christum non potes dicere ordinaria naturae ex virgine natum esse: neque secundum spiritum, hoc est, promissionem, nuncupari potest unigenitus Dei Filius, cum Isaac, & Samson, & Samuel & Joannes Baptista eodem modo possint dici filii Dei. Iudei dicuntur cognati Pauli secundum carnem: secundum carnem autem non tantum negatiue explicandum est, non secundum spiritum: nam gentiles incredibili quoque non erant cognati eius secundum spiritum, sed neque secundum

secundum carnem quoque: itaque hic significatur sanguinis coniunctio, cui opponitur coniunctio spiritualis, quæ communione eiusdem fidei & spiritus, constat. Si hanc antithesim ad Christum transferamus, & dicamus ex Davide ortum secundum carnem, quod genus ducatur ex sanguine Dauidis, vere quidem hoc diciatur: sed cum dicat apostolus eum esse ex semine Dauidis, non opus erat addere secundum carnem si tantum humana in eo natura fuit: nam primum hoc per se manifestum erat, ex sanguine Dauidis genus ducere si ex semine eius ortus esset: deinde antithesis secundum spiritum non potest consistere, nam si spiritus nomine intelligimus coniunctionem spiritualem, & communionem spiritus & fidei, tū secundum spiritum etiam Dauidis & Abrahāmi & aliorum credentium et non tantum Dei filius erit. Quod si visitatam antithesim carnis & spiritus retineamus, secundum quam hortaturos apostolus ut non secundum carnem sed secundum spiritum vivamus, & carnis nominis motus & affectus carnales intelligere voluerimus, videant Aduersarij quo modo saltia, pietate haec Christo accommodent. Verum nisi prorsus obsecrati essent, non aliunde ipsis interpretatione querenda esset, cum Paulus seipsum sat perspicue interpretetur: Euangelium cu-

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

Ius se ministrum vocauerat, inquit prædicare
Filiū Dei factum ex semine Dauidis quoad
carnem, & declaratum Filium Dei potenter
quoad spiritum sanctificationis. Hic secūdum
carnem & secundum spiritum sanctificationis
opponuntur: at secundum carnem non ita op-
ponitur spiritui ut spiritus significet vel spiri-
tum sanctum, tum enim non secundum spiri-
tum sed per spiritum declaratus fuisset Filius
Dei, neque spiritus hic significat partem homi-
nis regeneratam et illustratam à spiritu sancto,
nam in Christo etsi fuit caro quod substatiā
spectat, non tamen in illo fuit pugna carnis &
spiritus, sed caro eius fuit subiecta spiritui, & i-
ta totus spiritualis, hoc est à carnalibus affecti-
bus vitiōsis liber fui. Verum hęc quę forte hic
obscurius à Paulo indicantur, ab eodē clarius
exponuntur nono ad Romanos, quid scilicet
nomine spiritus intelligendum: quo loco cum
dixisset Christum esse ex patribus Iudee gen-
tis quoad carnem, addit, hunc esse Deum bene-
dictum. Et quum Paulus loquatur de Filio qui
in Euangeliō annuciatur, atque non tantum
eius nativitatem secundum carnē, passionem
& mortē Euangelia describant, sed simul quo-
que Filium Dei prædicent Deum, diuina ope-
ra efficientē, & diuino cultu, fide, spe, inuoca-
tione ardenti colendū, cur non hic quoque
eius

eius deitatem nobis indicari credamus: cum
hæc sit simplex interpretatio, & antithesim
Pauli optime explicet, hunc Iesum qui secun-
dum carnem, hoc est quoad humanam natu-
ram, ex Patribus ortus est, eundem esse ab æter-
no Filium Dei, & Deum super omnia, secun-
dum spiritum hoc est diuinam suam incom-
prehensibilem & spiritualem substantiam? Ne
que consequitur quod Aduersarius vult, vbi-
cunque secundum carnem legitur, ibi oppo-
nendam esse diuinam naturam, & duas natu-
ras his tribuendas qui aliquid secundum car-
nem esse dicuntur: ut cum domini seruorum
suorum domini secundum carnem nomi-
nantur, non est statuendum seruos duplicum
habuisse naturam, & quidem diuinā alteram:
cum enim vocabula sint homonima, non pos-
sunt nec debent vbiique eodem modo explicati.
Et quid si seruis tribuamus duas substan-
tias, corpus & animum, sic ut domini corpori
imperent, in animum & conscientiam nullum
ius habeant, nunquid hic peccamus? nequa-
men de Christo ideo dicemus secundum cor-
pus tantum è semine Dauidis, & secundum an-
imum Filium Dei: nam tota hominis substan-
tia à parentibus ortum habere dicitur, neque
enim carnem animæ expertem generant: & si
ideo diceretur Filius Dei quod anima à Deo

ASSER. ORTHOD. DOCT.

creata sit, idem de omnibus hominibus dicendum esset. Recte igitur secundum carnem & secundum spiritum, de seruis respectu duarum naturarum interpretari possumus: & hanc antithesim nihilominus in Christo aliter de duabus naturis diuina & humana interpretamur.

Pergit deinde ludere ambiguis vocibus, & affirmat vni naturæ duos patres posse tribui, quia Abraham & Dauid sint patres Christi: ubi manifestum est ~~duarum~~ dici nomen patris, & de eo qui aliquem genuit, & de maioribus alicuius: qua ratione etiam plures matres aliqui tribui possunt, atque Eua nostrum omnium mater est. Addit si vni naturæ non possunt tribui duo patres, neque vni personæ posse attribui duas naturas. Verum hanc consecutionem nonnum probauit, neque haec paria esse ostendit: Certum est animam humanam & corpus, esse duas substantias vel naturas, quæ tamen vnam hominis personam constituunt. Adhæc cum dicimus vni naturæ non posse tribui duos patres, non loquimur de maioribus quasi nō plures sint patres aut maiores: sed quæ ritur de disparatis naturis, vni scilicet naturæ nō posse tribui patres diuersarum naturarum, ut Deus & homo sunt diuersæ naturæ, & tamen Christus tam Dei quam hominis filius dicitur: hoc autem non potest de una natura pro-

prie

prie accipi, patris enim est proprium sui similem substantiam generare: si igitur Christus est Dei Filius, habeat oportet in se Dei substantiam secundum quam eiusdem sit naturae cum Deo Patre, alioqui non erit verus & proprius Dei Filius: & cum sit idem hominis filius, necesse est ut humanam quoque in se habeat substantiam, alijs verus homo non esset. Quod vero hic subiicit Budneus, Christum inter homines non esse apatoram, ambigue ab eo dicitur, Filium Davidis & Abrahami agnoscimus: sed quod ad dit Christum citra viri congressum, non tamen citra virile semen conceptum, numeramus inter alias blasphemias, & impias questiones Seruati discipulorum, quales quotidie multas magno bonorum mero & dolore expuunt. Ne que continuo Martionitae sunt qui hoc negant: manet enim nobis salua in Christo humanae naturae substantia, etiam si cum scripturis & patribus ex matris substantia absque virili semine ortum credamus. Quod si forte vult ortum ex virili semine, vel quia mater ex virili semine orta est: vel quia ex matris substantia sanctissime foeti materia & forma quae virilis seminis vice fuerit, suppeditata est: certe si sic intelligat, non male sentiat, prophane tamen de tanta re loquitur, & necesse est multos absurdiloquendi genere offendit:

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

Sunt autem absurdæ locutiones indicia animi prophani, & qui religionem nō serio curet, sed monstrosis speculationibus alatur & delebetur.

III, Arg.
Christus est
Dauidis Fi-
lius & eius
dem Domi-
nus.

Tertium nostrorum argumentum, non nostrum sed ipsius Christi seruatoris est, quo falsam Iudeorum opinionē de Messia impugnat, & Christum quem illi tantum Dauidis filium prædicabant, alterius etiam & præstantioris naturæ esse quam Dauidem. ex eo probat quod Dauid eum Dominum suum vocat. Primum autem tenendum est quæ fuerit Iudeorum opinio de Messia: hi igitur hominem tantum esse credebant, ex genere Dauidis oriundum, quemadmodum et nostri Aduersarij, hunc pre alijs credebant ornatum plurimis & amplissimis donis diuini spiritus, & potestate miraculorum, itaque de seruatore dicebant. Nū Christus si venerit, plura signa edet quam hic: Ioan. 7. agnoscebant etiam eum Regem & quidem æternum: Ioan. 12. Sed non agnoscebant Christum diuina natura præditum, atque ita vere & proprie Dei filium Deoq; patri æqualem esse, ideoq; etiam Iesum, quod Patrem suum dixisset Deum pafem se faciens Deo, trucidare conabantur. Et si autem Christus quam diuinam terris vixit in carne, diuinam suam maiestatem non palam & publice prædicauit, & cum maiesta-

maiestatis suæ gustum quendam discipulis in monte præbuisset, voluit id taceri ab eis usque ad tempus resurrectionis suæ à mortuis, tamē ut miraculis potentiam suam testatus est, ita etiam sermonibus falsas de se opiniones coarguit, & hoc argumento quod adduximus diuinitatem suam contra Scribarum & Pharisæorum errorem asserit. Argumentum autem Christi bifariam à nobis explicatur. Nam cum dicatur Dominus Dauidis, vel ad Dauidem referatur, quod Dauid quum hæc de Christo scriberet, eum vere suum Dominum agnosceret: nō potuit autem Dominus eius esse si tantum mens homo futurus erat, nam tum non dum existens Dauidi non poterat dominari. Atq; cum simpliciter Dauid Christum suum Dominum nominet, & canticum hoc ecclesiæ tradiderit quo Christum celebraret, si ipsius Dauidis & ecclesiæ veteris testamenti Christus Dominus fuit, non male ex natura Relatorum quæ ~~gō~~
& ~~λό~~ simul sunt, colligitur Christum tum extitisse: & quia secundum humanam naturam non existebat re ipsa & personaliter, oportet præter humanam aliam quoque in eo fuisse naturam humanam antiquiore. Neque tollitur regula ista relatorum, quia posteri omnes filii dicuntur, cum ita dicantur ~~μετρίους~~: item quia nō nunquam nascuntur filii posthumi, nam hi

ASSER. ORTHOD. DOCT.

liquando simul cum patribus extiterunt quāuis nondum in lucem editi : ac manent nomina relata in vsu vulgi quamuis ipsa relatio morte sublata fuerit. Sic mutua est relatio inter maritum & vxorem, attamen vinculum hoc morte soluitur, nihilominus tamen nomen manet, ut Bethsaba Vriæ vxor dicitur, etiā postquam Dauidi coniuncta Solomonem peperit, non quia tum Vrię esset, sed quia aliquando fuerat. Adhæc non necessario consequitur Dauidem de re futura loquutum, quia dicitur in spiritu eum Dominum suum vocasse: neque enim poterat hęc humana ratione agnoscere: ipse enim Filius Dei, seu Deus Verbum nondum erat in carne manifestatus, & postquam manifestatus fuit in carne, non tamen humana ratione agnitus fuit ab apostolis sed patefactione diuinā, immo quamvis presens inter illos esset, nihilominus eum non videbant & prædicabant Messiam nisi in spiritu: ut & de Petri confessione Dominus restatur: & alibi multis in locis aper te aditur, præsertim ubi Christus docet eandem esse sui & patris agnitionem, ita ut qui se videat, Patrem videat. Quare Dauid vidit Filium Dei in spiritu, & de eo hęc scripsit in spiritu, non tamen inde confitetur Filium Dei nō existisse in rerum natura. Verum ut hęc maxime dicta sint non de præsenti Domino sed de futu-

ro, de Messia siue Filio Dei in carne manifestato, nihilominus constat argumentum nostrū: argumentatur autem Dominus ab absurdō, nempe absurdum esse, ut idem sit Dauidis filius et Dominus: hoc autem nō est absurdum simpliciter, si quis natura Filius, potentia & honore superet patrem & illius dominus sit: nam hoc modō Iosephus Iacobi filius patris & fratrū suorum dominus factus est sicuti p̄ somnium illi dicitur demonstratum fuerat.

Quare si tantum donorum excellentia Messias debuisset Dauidem p̄ excellere, ac non etiā idem natura Filius & natura quoq; Dominus esset, infirū omnino fuisset argumentū Serruatoris nostri, & facile illi potuissent Iudæi respondere, etiam si Filius esset Dauidis nihilominus tamē dominum dici, quā diuinitus potestate ex excellenti donatus sit: Iudæi vt Euangelista scribit, non potuerunt ei respondere quicquam. Postremo dominiū hoc quo Messias Dauidis dominus dicitur, non tantum respicit ipsius personam, sed totam eccl̄siam in qua Dauid tum principē locum tenebat, et erat caput populi Dei, atq; ideo Dauid Psalmū hūc populo canēdū dedit, quo regnū Christi describitur, quare Dauidis tiā domin⁹ ideo dicitur, quia summū caput est eccl̄siae, sumus & vniuersitatem fidelū, cui data est oīs potestas in cœlo &

ASSER. ORTHOD. DOCT.

in terra, coram quo flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & subterraneorum. Existimant quidem Aduersarij hæc conuenire posse Christo quamvis sit merus homo, sed contrarium docent sacræ literæ, quæ docent Deo fletendum omne genu, hunc solum adorandū, atque eum suam gloriam non daturum alteri: itaq; nisi Christus sit Deus manifestatus in carne & nō tantum homo merus, adorare ipsum & spem ac fiduciam nostram in eo collocare non possumus.

III. Arg⁴
mentum.
Christus fu
it in forma
Dei, & etiā
in forma
serui.

Quartum argumentum desumptum ex 2. cap. ad Philippenses hoc modo eludit Aduersarius. Formam Dei significare exemplū & specimen, atq; referri ad illud tempus quo miracula edebat, formam autem serui significare speciem hominis nocentis: hanc interpretationē confirmat primum Ambrosij auctoritate: secundo angeli testimonio qui predixerit Christum à nativitate magnum fore non contemptibilem & in forma serui: Tertio ponit à Paulo participium ὑπάρχον, quo ostenditur Christum eo tempore quo erat Magnus siue in forma Dei, sese demississe. Cum enim imperaret ventis, morbis, dæmoniis, vbi capiendus & vinclendus erat, tota illa forma Dei se exinanivit, ac se ita tractandum permisit, quasi nil potestā te cæteris præstaret. Postremo Patrum auctoritatem

ritatem partim reiicit, partim nobis assentiri et negat. Ad singula breuiter respondebo. Ac ab initio quando suam interpretationem auctoritate Ambrosij tuetur, cum nusquam alibi veteres citet, ostendit se veteru testimonij & consensu destitui, qui enim tam studiose vnius testimonium annotat, quod tamen falsæ eius opinioni non suffragatur, si proculdubio si plura potuisset proferre, non præteriisset illa silentio. Poteramus autem Ambrosio aliorum Partium auctoritatem opponere, sed id non necesse est, quoniā Ambrosius ipse se satis explicat, & impiam sententiam eorum qui Christum natura Deum esse negant confutat. Ac hō tantum in summa doctrinæ, sed etiam in præsentis loci interpretatione Ambrosius nobiscum consentit. In epistola enim ad Irenæum quæ est 47. libri 11. sic scribit: Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine diuinitatis, In illa perfectionis diuinæ expressione. Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Et paulo post. Iterum ergo interrogo, quid est in forma Dei? in natura Dei. Sunt enim ait Apostolus qui non sunt natura Dei. Quæro quid sit formam servi accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis ut dixi humanæ, ut esset in hominum similitudine. At

ASSER. ORTHOD. DOCT.

aliter videtur scribere in Commentarijs in epistolam ad Philippenses: ibi enim scribit: Dei Filius homo natus sic in forma Dei erat, quia cum homo videretur, opera Dei faciebat, ut in gestis rebus appareret Deus esse, qui homo tantum putabatur. Opera enim formam significabant, ut quia opera eius non viisque hominis opera sunt, hic qui in opere vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid est, nisi exemplum quo Deus apparet dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat, & alia? Ambrosius haec de Christo homine sive Deo manifestatio in carne interpretatur, ac inquit hominem Christum in forma Dei fuisse, hoc est operibus declarasse se esse Deum. Verum nequaquam propterea sentit Ambrosius Christum non etiam natura Deum sed tantum medium hominem fuisse, nam ibidem ita scribit: Non modo autem homini similis factus dicitur, si homo tantum erat? & quare ratione habitu repertus ut homo est, si non esset & Deus? Item, Christus semper in forma Dei erat, quia imago est inuisibilis Dei. Forma enim Dei nihil differt a Deo. Ideo enim forma & imago Dei appellatus est, ut intelligetur non ipse Pater esse Deus, sed hoc esse quod Deus est. Adhac idem Ambrosius in explicatione sequentium verborum, quod scilicet Christo da-

Si datum sit nomen super omne nomen, aper-
te Aduersariorum falsam & impiam opinio-
nem confutat, ac docet nomen hoc quod est
Dei nomine, Christo attributum, non nuncupa-
tione tantum sed natura, si enim homo tantum
esset Christus & non etiam natura Deus, sed
tantum adoptione, tum non esse illum in glo-
ria Patris, neq; illi flectendum omne genu: ad-
hac si homo tantum fuisset, male argumentari
Paulum, neq; enim quicquam magnum præsti-
tisse si homo Deo obediens fuit, & se illi parem
non facit, & si homo tantum hominibus simi-
lis factus est: immo si merus homo fuisset, no potuisse ipsum se exinanire: quod si homo fuit in
forma Dei, & hoc naturæ humanæ attribuen-
dum est, tum sequi eum ante passionem exalta-
tum atq; perfectum esse quoad hominem, cuius
tamen contrarium Paulus docet. Hac atque
plura in hac sententiam scribit Ambrosius,
quibus error Aduersariorum confutatur. Obij-
cit nobis Aduersarius ab Angelo d'um, Chri-
stum magnū fore mox à nativitate no aut con-
temptibile: quod tamē dicendū foret, si cōtem-
ptibilis forma servi esset ipsa humana natura.
Sed verbis Angeli Budneus suo arbitratus mul-
ta affingit, neq; enim tēpus definit quo sit ma-
gnus futurus, neq; verbo lo negat eum à nativi-
tate contemptū fore. Hic erit magnus inquit,
& Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi do-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

minus Deus solium David patris ipsius, regna
bitq; super domum Iacob in æternum , & re-
gni eius non erit finis. Duo tribuuntur Chri-
sto, quòd sit Filius Dei , quod Christo homini
quoque ab ipsa conceptione & nativitate qua-
drat : deinde quòd supra solium David sessu-
rus & in æternum regnaturus sit: quæro à Bu-
dnæo an Christus homo quem merū hominē
facit, ante mortem & resurrectionem regnarit
super Israelem , & in solio regio sederit : hoc si
dicat, scripturis repagnat, et symbolo fidei, quo
traditur Christum post resurrectionem à mor-
tuis & ascensionem in cœlos consedisse ad de-
xtram Patris : hæc autem est sessio Christi in
throno regio. Quòd si Christus sese tum demū
exinaniuit & formam serui assumpsit, quando
se capiendum & vinciendum præbuit, & mor-
tem passus est, quid sentiendum est de infirmi-
tibus quas ipsa nativitate in car aliorum
hominum sustinuit ? Nascitur in stabulo, po-
stea fugit in Ægyptum, Filius Fabri vulgo ha-
betur & per contemptum ita nominatur, pau-
per est nostri causa factus, 2. Cor. 8. adeo quidē
ut ipse de se dixerit, vulpes foueas habent, vo-
lucres cœli nidos . Filius hominis non habet
vbi reclinet caput: frigus, calorem, famem , si-
tim, lassitudinem per pessus est: affectus quoq;
humanos quibus obnoxia est humana natura
propter

propter infirmitatem suam, ut sunt metus, tristitia, horror mortis, sensit, & in his quoque nobis similis factus est, absq; tamē peccato. Heb. 4. Quod si dicatur humanam naturam nihilo minus fuisse in forma Dei propter miracula quæ Christus fecerit, facile regeri potest, illo tempore quo vinciendum se prebuit, vnde illi assumptionem formæ serui inchoant, miracula à Christo edita, nā eos qui ad se capiendum veniebant, in terram supinos prostrauit, Malchi auriculam à Petro abscissam restituit. Petrum ad veram pœnitentiam ipsum solum respiciens perduxit, Latronem paradiſo donauit, inusitata solis ecclipsi testatus est verum solē iustitiæ cruci affixum esse, velum templi scidit, petras vi sua rupit, & mortuos ad vitā ē sepulchris reduxit. Quare miracula nō sunt ipsa Dei forma de qua Paulus loquitur, manetq; firma vetus interpretatio huius loci, formam hominis humanam & formam Dei diuinam naturam significare: nam quod ex participio ~~in~~ argutatur, friuolum est, & magis nostram quam illius sententiam confirmat. Filius enim Dei erat in forma Dei, idque ab æterno, postea vero formam serui assumpsit, non abiecta forma Dei sed velata indumento carnis. At si Filius Dei homo ~~ner~~ esset, suum ex virginine initium haberet, tumque potius dicendum

ASSER. ORTHOD. DOCT.

esset ipsum in forma Dei factum. Neque nos dicimus antea fuisse magnū, & postea paruum factum, sed cum esset magnus siue cum esset in forma Dei, se exinanuit & formam serui induit, atque exinanitio siue humiliatio, non modo non requirit ut medium tempus ponatur inter formam Dei, & hominis formam, sed illa forma Dei, gloria & maiestas in Filio Dei incarnato reuera quidem ab ipsa incarnatione inerat, sed carnis humilitate quasi velo quodam tecta non semper fuit conspicua: quamvis enim miraculis & virtutibus semper se Filium Dei comprobarit, tamen nihilo minus ex terro aspectu abiectus & contemptus fuit, sic ut ipsa etiam miracula Pharisæi ad calumniam ipsius raperent: & qui præclarious de illo sentiebant, tantum prophetam aut sanctum aliquem hominem esse arbitrabantur, cum viderent ipsum nobis per omnia similem.

Venio nunc ad Patrum testimonia quæ pri
mū in genere rejicit, quod in multis errarint,
præsertim in locis de Deo & Christo. sed cum
nondum erroris ipsos conuicerit, neq; ipse ne-
que Seruetus & qui ex schola eius prodierunt,
non patiemur tantæ contumeliz notam tam
facile illis inuri: cum nobis constet eorum do-
ctrinam cum sacrâ literis et inter se quoq; con-
sentaneam esse. Postea ex Patribus ynum tan-
tum

sum Chrysostomum nobis relinquit, qui sententiam nostram defendat, cui tamē falso commentaria illa inscripta esse Erasmus testetur. Possem hic pluribus testimonij ostendere nostram interpretationem confirmari ab Hilario Augustino, Hieronymo, Nazianzeno, Basilio, Niseno, Cyrillo, Theodoreto, & alijs quam plurimis, qui etsi non omnes ex professo hunc locum interpretantur, tamē eum citant, & hoc vtuntur ut Christum natura Deum & natura quoque hominem esse ostendant, sed quia hęc & pijs nota sunt, & frustra Aduersarijs obijiciuntur, qui hos omnes Antichristianos esse aiunt, contemnunt & damnant, ideo libens illa omitto, ut tantum locum Tertulliani vetustissimi scriptoris adnotabo, ut appareat quod nā iudicium de huius loci sensu fuerit in veterie ecclesia proximo seculo post Apostolorum aetatem. Quamuis enim Tertullianus in quibusdam hæreseos damnetur, nemo tamen pius in hoc dogmate vñquam ipsum reprehendit. Verba Tertulliani hęc sunt, Cur autem licet ad aliam partē disputandi festinare videamus, illum prætereamus apud Apostolum locum, Qui cum in forma &c. Qui cum in forma Dei esset, inquit. Sin homo tantummodo Christus, in imagine Dei non in forma Dei relatus fuisset, hominem enim scimus ad imaginem non

ASSER. ORTHOD. DOCT.

ad formam Dei factum. Quis ergo est iste qui
in forma Dei , vt diximus factus est angelus?
sed nec in angelis formá Dei legimus, nisi quo
niam hic prēcipuus atque generosus prē om-
nibus Dei Filius Verbum Dei , imitator om-
nium paternorum operum, dum & ipse opera-
tur sicut & pater eius , forma vt expressimus
est Dei patris. Et merito in forma pronuncia-
tus est Dei, dum & ipse super omnia, & omnis
creaturæ diuinam obtinens potestatē, & Deus
est exemplo patris : hoc ipsum tamen à patre
proprio consecutus, vt omnium & Deus esset,
& Dominus esset, & Deus ad formam Dei pa-
tris, e. ipso genitus atque prolatus. Ac mox for-
mam serui suscipere , interpretatur hominem
fieri, & substantiam carnis & corporis nascen-
do suscipere , & exinanire, humanæ conditio-
nis fragilitatem suscipere , ac subiicit: Quoniam
si homo tantummodo natus fuisset, per hoc
exinanitus non esset, homo enim nascens au-
getur non exinanitur. Nam dum incipit esse
quod dum non esset habere non potuit, vt dixi
mus non exinanitur sed potius augetur atque
ditatur. At si Christus exinanitur in eo quod
nascitur formam serui accipiendo , quomodo
homo tantummodo est, de quo verius dictum
fuisset, locupletatum illum esse tunc cum nasce-
retur, non exinanitum, nisi quoniam auctori-
tas

tas diuini verbi ad suscipiendum hominem in
terim conquescens, nec se suis viribus exer-
cens, deicet se ad tempus atque deponit, dum
hominem fert quem suscepit? Postremo ita cō-
cludit: Ex quo & dum in forma Dei esse Chri-
stus dicitur, & dum in natuuitatem secundum
carnem, se exinanisse monstratur, & dum id ac-
cepisse nomen à Patre quod sit supra omne no-
men exprimitur, & dum in nomine eius omne
genu coelestium, terrestrium & infernorum se-
flectere & curuare monstratur, & hoc ipsum in
gloriam Dei patris succurrere afferitur, conse-
quenter non ex illo tantum homo est, quia obe-
diens Patri factus est usq; ad mortem, mortem
autem crucis, sed ex his etiam rebus superiori-
bus diuinitatem Christi sonantibus, Dominus
Christus Iesus & Deus, quod heretici nolunt,
esse monstratur. Idē auctor lib. 5. aduersus Mar-
tionem, qui Christum verum hominem nega-
bat, quia Paulus scribit in forma, seu ut ipse in-
terpretatur in effigie serui constitutum, & in si-
militudine hominis, ipse contra probat verum
hominem, quia in effigie Dei constitutus sit ve-
re filius Dei Patris, & Deus inuentus per vir-
tutem. Atque hæc quidem interpretatio non
tantum magno consensu vetustatis confirma-
tur, sed scripturæ contentanea natuam & pro-
priam verborum Pauli sententiam retinet, &

ASSER. ORTHOD. DOCT.

argumento quo utitur accommoda est: qui vero hæc de mero homine interpretantur, verbis Pauli vim inferant & à nativo atque alieno sensu ea detorqueant necesse est. Cum enim formam Dei & e qualē esse Deo Paulus coniungat, illi formam Dei ad miraculorum effectiōnem referentes, non aliam in Christo quam in omnibus sanctis formā Dei constituunt, quos tamen constat Deo non esse æquales: ac si homo merus est in forma Dei, oportet Deum hominis meri formam habere, sunt enim formæ seu effigies, & res effigiatae seu quæ in forma alterius sunt, inter se similes. Iam cum Paulus Chri~~tum~~um formam servi accepisse dicat & similem hominibus factum, illi pro homine substituunt hominem nocevit absque ullo exemplo aut scripturæ auctoritate: nomen quidem hominis aliquando imbecillitatem humanæ naturæ significat, vt & mortalis nomen, & hoc toti naturæ conuenit, sed homo pro fonte & scelerato nusquam ponitur.

V. Arg.
Deus mani
festatus in
Gene. 1

Quintum argumentum desumptū ex priori epistola ad Timotheum tertio capite, quoniam confutare non poterat, in eo multum laborat, vt ostendat locum hunc corruptum esse ab Homousianis, & nomen Dei in Græco additum loco articuli, quod in Latinis non habetur; Græce enim scribitur, Magnum sine contro-

controversia est pietatis mysterium: Deus con-
spicuus factus est in carne ,&c. Latina vetus e-
ditio habet, Et manifeste magnum est pietatis
sacramentum quod manifestatum est in carne
&c. Primum autem Erasmi testimonio & au-
toritati nititur: sed eius non tam interpretatio
nem quam depravationem huius loci Theo-
dorus Beza , acerrimi iudicij & singularis do-
ctrinæ theologus, non arrosit, ut Budnæus ait,
sed tam aperte & solide confutauit , vt ipse &
alij huius generis matæologi , nihil quod con-
tra obijciant, ne configere quidem possint. I-
taque hoc tantū agit, vt nobis persuadeat Græ-
ca potius quam Latina exemplaria vitiata esse:
Ac inquit omnes hæreticos Græcos fuisse, Ro-
manos non nisi Nouatum edidisse. Primum
non recte Græcię Romam opp̄nit, nisi Romę
nomine Occidentem & illas ecclesiias intelli-
git quę Romanam linguam inv̄su habuerunt,
Deinde falsum est quod asserit , & ses imperi-
tum historiarum veteris ecclesiae ostendit. An-
te Nouatum namque suas hæreses Romę spar-
serunt Valentinus, Cerdon, Martio, Tatianus:
neque est quod dicas hos aliunde Romanę ve-
nisse, nam etiā Nouatus ex Africa Romanę ve-
nit: & post Nouatum Photinus, Pelagius, Hel-
vidius, Priscillianus & alij suas hæreses Latinis
literis diuulgarunt. Deinde in Græcia hæreses

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

suas sparserū Arius, Eunomius, Macedonius,
Eutyches, Nestorius. &c. qui aliquādo tam po-
tentest fuerunt, vt Orthodoxi quos tu'Homou-
sianos vocas, vix locum haberent: quare si
Homousiani voluerunt hunc locum corrum-
pere, cur non in Occidente & Latinis ecclesijs
eum corruerunt, vbi maior ipsorum numerus,
& maior quoque fuit potentia & auctoritas?
Quām futile vero argumentum est, loca non-
nulla ab hereticis corrupta esse, ergo hunc quo-
que? Nam efficacius quām tu hinc concludere
potero, Latinam potius versionem corruptam
quā tu defendis. Si enim hic valet Cassianum
illud. Cui bono, ea quā tu defendis lectio cor-
rupta videbitur, quæ cum sit ambigua, & Pho-
tino cuius tu hæresim renouas, & Ario, & Ne-
storio & similibus detorta interpretatione in-
seruire poterat. Et quum hic Tertullianum ad-
ducis, quem te solum minime suspiciosum (su-
spectum te dicere velle arbitror) vocas, tamen
eundē alibi penitus ut hæreticū reijsis. Miror
autē te hic tantopere preferre Latina exempla-
ria Græcis, non tantum quia ratio repugnat,
cum Græca sint antiquiora, & Latini sua à Græ-
cis desumpserint. sed quod hic tecum ipse pu-
gnas, tuus enim Paruta in aureolo ut tu vocas
libello (quem alias viri boni ne plumbeum qui-
dem, sed ex auripigmento quod pernicioſiſſi-
mum

mum venenum est, compositū iudicant) contrarium sentit, & testimonium ex Ioannis prima epistola 4. cap. reiicit, quia in Græcis exemplaribus non habetur. Sed his hominibus modo Græcorum modo Latinorum, prout ipsis commodum fuerit, potior est auctoritas. Attamen hactenus in Theologorum Scholis moris fuit, ut si de lectione loci alicuius controuersia esset, non temere cuiuis suo arbitratu dubitare & codices veteres in dubium vocare liceret, sed in veteris testamenti libris ad Hebræos codices, in noui ad Græcos huiusmodi controversiæ dijudicande remittebantur. Qui vero dicebant aliquid ab Hæreticis mutatum, locum notabant, authorē indicabant, causam exponebant. At vero nostri isti super è terra orti noui prophetæ, sacros codices deprauatos dicunt, non autem nullum testimonium proferrunt, quo id probent & eos qui semper orthodoxi iudicati fuerunt, huius criminis accusant, quos nemo unquam hoc nomine damnavit: & cum tam potentes olim fuerint Ariani, toties nostros accusarint, tam multa contra eos confinxerint, cur nunquam eos ob hoc crimen accusarunt? Cur Latini, qui maxime Consuetudinalitatē defenderunt, non mutarunt suos codices Græcorum exemplo? Cum tot fuerint in Græcia Ariani, Eunomiani, Nestoriani,

ASSER. ORTHOD. DOCT.

qui factum est ut haec lectio quæ magis quam altera eorum opinioni repugnat, in omnibus codicibus obtinuerit? Mirum certe est omnes ad vnum codices tanto consensu deprauari potuisse. Imo mirum potius esset Aduersarios nostros audere sacros codices deprauatos dicere, nisi ita omnem pudorem dudum exuissent, & tam pertinaciter Christi honorem & gloriam oppugnare pergerent, ut iam non amplius mirum sit haec ab ijs fieri, & horrendas blasphemias publice ab illis asseri. Volent fortasse idem nobis obijcere & dicere non minus mirum videri Latinos codices ita esse deprauatos? Verum neque illis initio concederim in omnibus codicibus sic legi: deinde illam ipsam lectiōnēm non simpliciter respupo, sed ipsorum prauam interpretationem. Nam si omisso Dei nomine articulum ad mysterium referamus, ramen mysterij nomine non prædicatio Euangelij significatur, ut Erasmus contendit, & à Beza grauitate & solide confutatur: nam vt aliamittamus, Euangelium non est conspicuum factum in carne, nam quod carnem ille interpretatur vniuersum mundum, admodum violentum est: deinde non est sursum receptū in gloriam, post resurrectionem videlicet Christi, sed magis propagatum per vniuersum orbem. Sed mysterium, ut etiam Ambrosius censet,

set, Christus ipse ~~in terra nata~~ dicitur. Natus enim homo (inquit) Filius Dei, qui in secreto erat apud Deum, opere & prædicatione declarauit se creaturæ: nempe ut ostenderet (ut paulo post subiicit) quod qui natus erat ut homo, non erat totus homo. Atq; cum hæc sit Ambrosij interpretatio, tam verum est quod Budneus scribit Ambrosium eodem modo cum ipsis interpretari hunc locum, quam verum etiam est quod nostræ sententiæ & lectioni Græcorū codicū nullū aliū in tota scriptura locū suffragari ait. Baruchus propheta scribit: Hic est Deus noster, & nō æstimabitur aliis aduersus eum. Hic adiunxit omnē viam disciplinæ, & radiit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. Etsi autem Baruchi liber inter Apocryphos numeratur, apparet tamen quæ fuerit puerū fides de hac re in veteri testamento, neque enim dicere poterit locum hunc ab Homousianis corruptū esse. Ioannes in Evangelij initio scribit, Verbum quo Deus erat carnem factum esse, & nos inquit vidi mus gloriam eius ut vnigeniti à Patre. In epistola sua inquit, Filiū Dei Iesum Christum in carne venisse: Filium inquit Dei missum à Patre, de quo in Euangeliō scriplerat, ipsum à Patre exiuisse, & quem in fine epistolæ verū Deum & vitam

ASSER. ORTHOD. DOCT.

æternam esse testatur. In epistola ad Hebræos describitur nobis Filius Dei creator cœli & terræ, qui assumpserit semen Abrahæ, & carnis ac sanguinis particeps factus sit. Etsi autem hæc testimonia Aduersarius conuellere conatur, tamen esse mera sophismata quæ contra obiicit, iam ostendemus.

VI. Argu-
mentum.
Verbum
quod erat
Deus caro
factum est.

Etenim sextum nostrum est argumentū ex primo capite Euangelij Ioannis, id primum reprehendit hoc nomine, quod non integrum locum adduxerimus, & hoc malitiose factum esse ait. Quasi vero non clare admonuerimus versus aliquot à nobis omissos esse: scilicet non versantur in omnium manibus noui testamenti codices, ad quos recurrere licet: imo quotus quisq; est mediocriter in sacris literis exercitatus, cui non initium Euangelij Ioannis notissimum sit, quod etiam multi è vulgo memorie mandant. Inquam legem ponit Aduersarius, & quam si teneamus, plerosq; veterū doli mali damnare sportet, qui sæpe ex eodem capite duos plurimè uersus, aut duo testimonia proferunt, & aliquot intermedios versus omitunt: imo hoc etiā à Paruta Aduersarij nostri socio factum est in libello suo, ut ipse iudicat, aureolo. Reprehendit deinde Grochouium qui scripsit se eorum commenta non morari, & eum inquit sibi contradicerē, qui cum ante scri-

scripsiterit se paratum suam opinionem abijcere, si illuminatus splendore veritatis meliora didicerit, nunc tamen dicat se eorum commenta nihil morari: at vere quidē hæc pugnarent, si ipsorum commenta vera essent, & splendore veritatis illuminata: sed cum sint humana commenta & nihil nisi meræ tenebræ, merito non tantum Grochouius sed omnes pij ea spernunt & non morantur. Neque propterea peccamus contra Apostolicam regulam iubenter omnia probare, Prophetias non aspernari, Spiritus non extinguere, sed probare an ex Deo sint: nam non est hæc mens Apostolorum ut quibusuis dogmatibus fidem habeamus, sed ex scripturis & regula fidei illa dijudicemus: quod nos quidem diligenter fecimus: & quia videmus Aduersariorum doctrinam scripturas in alienum & peregrinum sensum detorquere, gloriam Christi impugnare, fidei nostræ regulam euertere, blasphemizare & impietatis fructus proferre, ideo eam damnamus & reijcimus. Non possunt ferre Aduersarij si quis dicat se illorum commenta non morari, interim ipsi non morantur, imo damnant omnia veterum & recentiorum pijssimorum & doctissimorum hominum scripta, quæ cum ipsorum impietate non consentiunt. Vbi hic locum habet regula Apostolica? cur non hæc

ASSER, ORTHOD. DOCT.

examinant & probant? Hoc enim esset iustum
examen, rationes quibus vtuntur examinare,
testimonia quæ proferunt ponderare, & si ali-
cubi ratio fallit, testimonium infirmum aut
male ad præsentem locum detortum est,indi-
care: hoc autem non faciunt. Sed si quis asse-
rat Christum esse verum Deum Patri æqua-
lem & eiusdem cum ipso naturæ, & eundem
quoque verum hominem nobis quoque equi-
substantialem esse: mox vt Papanus & Anti-
christianus damnatur: quia iam ante sibi per-
suaserunt Christum merum tantum homi-
nem esse: Cur ergo nobis non idem licet, nem-
pe con non falsa opinione conceperimus, sed
ex scripturis didicerimus, vnum eundemque
Dominum nostrum Iesum Christum esse ve-
rum Deum & Dei filium, ex æterno Patre ge-
nitum, & verum quoq; hominem & virgine
natum, & hanc fidem semper tenuerit ecclesia
Christi, ac Apostoli & post hos innumeri mar-
tyres non tantum doctrina & miraculis sed e-
tiam sanguine suo eandem confirmarint, cur
inquam non licebit nobis quoque eos qui con-
trarium sentiunt & docent, tanquam alienos
ab ecclesia catholica & hostes gloriæ Christi
damnare? Ac quale sit Aduersariorum ex-
amen & dijudicatio spirituum, ex his quæ hic
ad Patrum testimonia respondet æstimari po-
test.

test. Primum Ignatium reijcit, quod eius epistolæ à Papanis corruptæ sint: in his enim alios ordines ministrorum ecclesiæ nominari, & officia diaconorum aliter describi quam in Apôstolicis literis, & præterea fieri mentione quadragesimæ. Non hæc defendo, sed tamen qui volebat ex his ostendere epistolas à Papanis corruptas esse, debebat ostendere hæc tempore Ignatij non fuisse in usu ecclesiæ, & diu post instituta, ita fidem mereretur eius accusatio. Quæ ut maxime vera sit, non tamen consequitur propterea in vniuersum eius epistolas reijciendas esse. Atq; ut de eo agamus de quo controuersia est, An Christus fit verus Deus & homo: an tantum merus homo: Ostendat nobis Aduersarius ecclesiam illius temporis credidisse in Christum merum hominem, & tum crederemus Ignatio falso attribui contraria doctrinam: quod si hoc non potest, & nos ex Iustino & Irenæo, Polycarpo, Tatiano, Tertulliano, Theophilo, Clemente Alexandrino, Athenagora, Gregorio Neocæsiensi & alijs veteribus contrarium ostendimus, certe hinc manifestum fit hanc fuisse doctrinam ecclesiæ, & catholicum consensum: neque obstat quod Tatianus, & Tertullianus hæreses damnantur: non enim propterea ab ullo veterum damnati sunt, quod non

ASSER. ORTHOD. DOCT.

recte de Christo seruatore docerent, sed propter alia dogmata. Ac vide quam egregius probator spirituum sit noster hic Budnæus. Catur à nostris Tertullianus, & rationes eius aliquæ proferuntur, ostenditur quæ fuerit ecclesiæ doctrina illius ætate, remittuntur lectors ad illius scripta, in quibus adductis plurimis scripturarum testimonij ostendit Christum non fuisse tantum hominem, sed etiam verum Deum eiusdem cum patre naturæ: ad nullum eius argumentum respondet Aduersarius, nō ostendit eum abuti scripturis, sed simpliciter eum reijcit quia Montanista fuerit. Iubet ea examinare quæ omnium iudicio impia censentur, & ipse ea quæ communi consensu ecclesiaz semper & ab omnibus orthodoxa habita fuerunt reijcit, quia in alio dogmate auctor errauit. Interim cum docemus Ebionem, Paulum Samosatenum, Photinum heresēs damnatos, quod Christum Deum hominē esse docerent, hic iudicium vetustatis nullum pondus haberet, & tales presanctis & legitimis doctoribus ab eo habentur: atq; vt alios non trutinatis eorum argumentis damnant, sic hos causa non cognita absoluunt: tanq; ducuntur præiudicatis opinionibus: nō possunt credere Deum ex sua substantia filium generare eiusdem secum naturæ & potentiaz: non queunt credere eum qui

qui definito tempore ex Maria virgine natus est, illum esse Dei filium per quem ab initio mundus hic conditus fuit: itaque ne scripturis suam rationem subiucere cogantur, singunt Christum merum hominem, qui Dei Filius dicatur, quod caro eius Spiritus sancti operatione in utero virginis formata sit: hunc autem Dei Filium, non esse verum & natura Deum, mundi huius architectum & opificem atque conseruatorem, sed nomina Dei, & creationis seu creaturæ, & mundi huius, ac rerum visibilium & inuisibilium, non esse accipienda in proprio simplici & nativo sensu, sed in eo quo possint hæc attribui illi qui merus homo sit. Hoc est eorum examen, hæc probatio spirituum, sic ad scripturam dogmata exigunt, non ut ex scriptura iudicium petant, sed ut se ipsum suum scripturis imerant, & illas errori quo fascinati sunt voleant eraccommodent. Aliunt Patribus non esse credendum nisi cum diuinaloquuntur eloquia, nos idem dicimus, & Patres ipsi scripta sua & cris literis subiecerunt, & ex illis voluerunt declarari: sed quod deinde sumuut, Patres in doctrina de Christo errare, & scripturis alienum sensum affingere, de eo est controversia: temere enim hoc asserunt, leuiter probant, & potius asseveratione vehementi quam firma ratione id no-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

bis persuadere conantur, id quod ex huius argumenti tractatione manifestum est. Nam primum omnes veterum interpretationes ridet, explodit, & damnat, non autem scripturis confutat : deinde suam explicationem proponit, cuius haec fundamenta iacit, Primum, nomen principij in plerisque locis noui Testamenti significare Euangelij exordium, quandoque addito Euangelij nomine, quandoque omisso : quare hic quoque eodem modo hanc vocem accipiendam. Secundo, nomine Sermonis non significari aeternum Dei Filium, sed Iesum Christum Filium ex muliere genitum, atq; hoc nomen illi tribui officij ratione. Postremo ex contextu ipso hanc sententiam probare vult: nam exordium hoc Ioannis vice argumenti ipsius Euangelij esse, ubi proponatur summatim quaesum Christi dignitatem & praeter ceteris eminentiam, tum ipsum officium commentent, & quanta credentibus in eum obueniant ab ipso bona indicato & hoc maiorem partem tantum prophetam Deique legatum cum magno suo malo repudiare. Hoc fundamento icto inde extruit preclarum illam paraphrasim verborum Ioannis: In principio Euangelij erat Sermon, ipse Jesus Christus diuinus interpres: hic soli Deo erat notus priusquam per miracula hominibus innotuisset : fuit autem nequam quam

quam vulgaris doctor sed plane diuina virtus
in ipso re lu cebat, in miraculis quæ faciebat, “
non tamen agnoscebatur pro tanto legato ab “
hominibus. Omnia vero quæcunque sunt in- “
stituta in ecclesia & quæ aguntur in ea, ab ip- “
so vel instituta sunt, vel ipsius nomine perfi- “
ciuntur. Doctrina vero ipsius talis erat, vt ea “
suscepta vitam diuinam homines acquirere “
possent: atque hæc ex varijs errorum tenebris “
homines illuminabat, & inter Pharisaicas Sad “
ducorumque & eiusmodi falsariorum corru- “
ptelas splendorem suum exerebat: sed falsæ “
persuasiones & earum auctores doctrinam il- “
lam cœlestem complecti non valebant. Non “
dubito multis arridere hanc explanationem, “
qui rem non diligenter & exacte expendunt, “
nam vere dicitur de Christo eum diuinæ vo- “
luntatis interpretem esse, &c. sed interim quæ “
maiora sunt illi adimuntur & negantur, & ge- “
nuinus sensus verborum Ioannis nequaquam “
hac paraphrasí exprimitur. Ac perinde at- “
que si Dauidem commendare velim, & eum “
laudem à forma corporis & robore, & ar- “
tis musicæ peritia: illa autem præstantio- “
ra ornamenta, quod fuit vocatus ad regnum, “
& destinatus ut sit Pater Messiae, quod do- “
natus spiritu Dei insignis vates fuit, & fi- “
de cæterisque virtutibus clarissimus fuit;

ASSER. ORTHOD. DOCT.

non tantum prætermittam sed etiam negem, sane multa quidem vera de illo commemora- uero, non tamen eius præstantiam indicaue- ro, sed potius eum depressero, ea quæ illius pro pria encomia sunt illi adimens. Ioannes initio Euangelij describit Christum, eiusque éminen- tiam & dignitatem non tantum officij sed per- sonæ quoque ratione ostendit. Sicuti etiam D. Paulus ab initio epistole ad Romanos Chri- sti personam describit, eum esse Filium Daui- dis secundum carnem, & Filium Dei declara- tum potenter secundum spiritum sanctifica- tionis. Et in fine Euangelij hanc summam suæ narrationis esse docet Ioannes, ut credamus Iesum esse Christum, Filium Dei, & credentes vi- tam habeamus. Quo iá vero cum Iudæorum tum hæreticorum multæ falsæ opiniones fue- runt de Christo, Ioannes describit quis & qua- lis sit Christus, atq; ut Irenæus scribit lib. 3. ca. 11. Cerinthi errorem quem is disseminauerat, Ioannes annuntiatione Euangelij auferre & co-~~futare~~ soluit. Fuit autem hic Cerinthi er- ror, vt idem scribit lib. 1. cap. 25. Mundum non esse à primo Deo factum, sed ab alia quadam virtute longe inferiore. Iesum non esse ex vir- gine natum, sed Iosephi & Mariæ Filium fuis- se similiter vt reliqui omnes homines: post ba- ptismum descendisse in eum Christum à su- premo

premo Deo, & tunc annuntiasse incognitū pa-
trem & miracula fecisse, in fine autem auolas-
se Christum de Iesu, & Iesum passum esse & re-
surrexisse. Contra hunc Ioannes docet non a-
lium esse Deum Patrem Christi, & rursus a-
lium Deum fabricatorem mundi, neq; aliud
esse Iesum & aliud Christum, sed vnum esse
Deum omnipotentem qui omnia fecit per ver-
bum suum: quod verbum in principio apud
Deum existens caro factum est, & habitauit in
nobis: & ipsum esse vnigenitum, incarnatum
pro salute nostra Iesum Christum Dominū no-
strum. Atque hunc esse scopum Ioannis Evan-
gelistæ copiose exponitur ab Irenæo lib. cap.
11. & 18. Quare quod Aduersarius sumit Iesum
Christum Mariæ Filium esse Sermonē seu Lo-
gon de quo Ioannes scribit, libenter admitti-
mus, sed non sequitur, Iesus est homo: Ergo
Sermo non est aeternus Dei Filius, sed tantum
merus homo, Iesus enim Christus Filius Dei
qui est Sermo ille quem Ioannes scribit, se-
cundum carnem est natus ex semine Dauidis,
& factus ex muliere, sed idem est Deus super
omnia benedictus, Sermo seu Verbūper quod
omnia facta sunt Rom. 1. & 9 Ioan 1. Ac in A-
pocalypsi cui tribuitur hoc nomen Sermo
Dei, nominatur etiam Rex Regum, & Domi-
nus Dominantiū, qui Dei titulus est 1. Tim. 6.

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Cum igitur Ioannes ait, In principio erat Sermo ille, quæro quod sit huius enuntiationis subiectum, & quod attributum? si verba Apostoli sequamur, ἀόντες est huius orationis subiectum, de quo dicitur quod fuerit ab initio, quod fuerit apud Deum, quod fuerit Deus: at iuxta Aduersarij sententiam oratio fuerit defectiva, & subiectum eius non exprimitur, sed subintelligendum est, Iesus Christus Mariæ Filius ab initio Euangelij fuit Sermo: atque ita primo loco ἀόντες non erit subiectum, in reliquis duobus erit. Verum num existimabimus Euangelistam tam fuisse obliuiosum ut omitteret mentionem eius de quo scribebat? num vero alibi presertim in exordio narrationis alicuius quisquam euangelistarum propositionem totius rei tractandæ absque suo subiecto enuntiavit? quid vero magnum & præclarum Christi tribuitur, si dicamus eum initio Euangelij fuisse Sermonem, legatum & interpretem Dei, & eximium prophetam? nam hoc vulgus quoque Iudæorum de Christo prædicabat. An non Apostolorum unusquisque hoc modo sermo dici potuisset? & quidem si apud Deum esse, idem est ac soli Deo notum esse, an non hi quoque initio soli Deo noti fuerunt, cum vulgo haberentur catharmata mundi? Quod si dicit Sermonem esse subiectum de quo

de quo dicatur quod in principio Euangelij fuit, magis etiam ridicula est enuntiatio, nam si Sermo est interpres & preco Euangelij & quidem primus, quis dubitat eum initio prædicationis Euangelicæ fuisse? Præterea cum non tantum Sermonem sed etiam rationem significet, male sic concludit, Filius Dei ante initium prædicationis Euangelij quod à Ioanne Baptista incœpit, nihil docuit aut dixit, ergo non potuit dici Sermo. Nam primum consecutio falsa est, potuit enim nihilominus esse & fuit Filius Dei, qui postea ex virgine natus est secundum carnem, æterni Patris non verbum tantum sed ratio, quare etiam sapientia Dei in sacris literis nominatur. Deinde falsum est quod sumit, Filiū nihil ante docuisse aut fecisse: credo eos non agnoscere ullam aliam docendi rationem quam externā illam quę ab homine verbis, quę auribus nostris insonent fiat, atq; hac ratione Filius Dei non erit Sermo amplius, neq; enim oculis nostris nunc cernitur, & vox eius auribus nostris nō auditur: & tamē docet tū per ministros idoneos quos ipse excitat et donat ecclesię suę, tum per spiritū suum sanctū quo illuminat corda electorū. At hoc modo Sermo antiquitus etiā docuit. Spiritus enim Christi fuit in prophetis: & suo spiritu prædieauit ijs qui sunt

ASSER. ORTHOD. DOCT.

in carcere 1. Pet 1. & 3. Et Deum nemo vñquá agnouit nisi Filio docente & patefaciente, Ioan. I. Quòd si nomen Sermonis Christo homini tantum tribueretur propter annuntiationē Euāngelij quam in carne sua peregit, cur Apostolus nunquā eum deinceps cum hoc munere fugeretur, Sermonem nominat, vbi maxime id oportebat fieri, si ea tantum ratione Sermo Dei fuit? Deinde cum Deus voluntatem suam ab initio mundi ecclesiæ suæ patefecerit, quis fuit Sermo & interpres diuinæ voluntatis, si vnicus hic Dei Sermo non extitit priusquā ē virgine nasceretur? Quod autē obijcit, Si Christus docuisset Patres, aut fuisset angelus qui Moysi et Patribus loquitus est, nō desiderassent Patres videre aduentū Christi, angelus enim ille nō fuit Aoratos: ad id respondeo nos persona Christi ab angeli persona distingue, fateri tamen cum Patribus Christū etiā officij ratione Angelū & magni consilij Angelū nominari, & Patribus assumpta ad tempus aspectabili forma appauiisse, vt ita futuræ incarnationi qual præluderet vt Tertullianus censet. Neque propterea nulla fuit causa cur Patres desiderarent videre aduentum Christi in carne: in his enim visionibus non ipsum Filium Dei videbant, sed formam tantum ad tempus assumptam, & sciebāt redēptionē humani generis perfic.

perficiendā quando Filius Dei caro factus fuī
 set; hoc autem mysterium cum angelis ipfis ad
 mirandum sit , quid mirum est sanctos homi-
 nes tanto desiderio exoptasse id videre? Nunc
 pīj omnes spiritu & fide Christum cernunt in
 cœlis regnante, nihilominus ardenti deside-
 rīo expertunt videre ipsam venientem in glo-
 rīa sua in nubib⁹ cœli ad iudicandū orbē ter-
 rarum. Quod autem sermo hic de quo Ioannes
 loquitur ante quam nasceretur ex virgine , i-
 mo antequā mundus fieret, reipsa fuerit, Ioan-
 nes satis aperte docet. Primum cum inquit Ser-
 mo erat in principio. Ait Aduersarius, Princi-
 pij nomen absolute positū non de mundi prin-
 cipio sed de Euangelij principio intelligi , atq;
 hoc affirmat sed non probat, nam argumen-
 tū quod profert ex Ioan. i. cap. est Petitio prin-
 cipijs, locus hic similis est initio Euangelij Ioan-
 nis, & eodem modo veteres sc̄per vtrunque
 locum intellexerunt & interpretati sunt. Ne-
 que sequitur quod Aduersarius obſcit, Aposto-
 los ab initio mundi fuisse, aut Sermonem ab i-
 nitio mundi carnem & ossa habuisse, est paralo-
 gismus , Vidi eum qui ab initio fuit, ergo ipse
 quoque ab initio fui, Sermonem vitæ qui ab i-
 nitio fuit , Apostoli postquam carnem assu-
 psit audierunt, viderunt, cōtrectarunt. Hunc
 ipsum Sermonem quem Apostoli audiuerūt,

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

viderunt & manibus suis contrectarunt, vidit Paulus apostolus, neque tamen Paulus cum alijs Apostolis fuit, neque Christus tum passibilis & infirmus fuit cum Paulus eum vidiit, quia illis in terris cum Apostolis vixit : eundē etiam videbunt omnes homines venientem in nubibus cœli ad iudicandum orbem. Itaq; nullum hic est absurdum, sed simplex interpretatio verborum Ioannis. Atque vbi nomen principij absolute ponitur, videtur potius absolute pro primo principio accipiendum, aut saltem pro ratione eorum quæ adjiciuntur explicandum. Budnæus principium hic contendit accipendum de principio Euangeli, sed primum propositum & scopus Ioannis cogunt nos aliter accipere nomen principij: nam ut diximus, & Lreneus ac veteres omnes testantur, Ioanni propositum fuit confutare Cerinthi & allorum hæresim qui Iesum merum hominem docebant, & Christum fingebant alium à Iesu: docet igitur Sermonem Dei æternum carnem factum esse, & hunc esse Iesum Christum in quem credentes vitam habeamus. Deinde quæ attribuuntur Sermoni qui erat à principio, satis arguunt veram significationem principij, dicitur enim Sermo esse Deus, et conditor huius mundi. Et si autem miris modis se torquent Adversarij ut hæc loca eludant, tamen firmiora & apertiora

periora sunt quām quæ eorum sophismatis e-
verti possint, nam quod ad prius, plurima sunt
scripturæ testimonia quæ Christum Deum et
Iehouam esse testantur, & illi quoque cultum
& honorem Dei vendicant: multa etiam sunt
quæ tribuunt Christo creationē mundi: et non
tantum in genere omnia ab eo condita dicunt,
sed nominatim mundum ab eo factum aiunt.
Ioan. i. Item terram ab ipso fundatam & cœlos
esse opera manuum eius. **Heb. i.** Omnia per eū
condita quæ in cœlis & in terra sunt visibilia
& inuisibilia. **Coloss. i.** Vnum esse Deum à quo
omnia, & vnum Dominum Iesum Christum
per quem omnia. **i. Cor. 8.** Quæ cum aperte in
sacris literis tradantur, impudens est blasphe-
mia, Christum seruatorem negare Deum &
mundi huius creatorem, idque propterea quia
Christus Jesus homo sit de Maria virgine geni-
sus: quasi vero scriptura tantum humano mo-
re nos de Christo sapere, sentire & loqui velit,
& non etiam in hoc homine diuīnam natu-
ram agnoscere, cum tam aperte nomen & ope-
ra & cultum Dei illi tribuat, adeo quidem ut
plurimi hæreticorum humanæ naturæ verita-
tem mox post Apostolorum tempora abnega-
re cœperint, quod illis non videretur verisimi-
le esse, hunc verum esse hominem, quem scri-
pturarum testimonijs & ipsis operibus consta-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

bat verum Deum esse. Nolo hic Aduersario-
rum argutias illorum omnes excutere quibus
fidei nostrę fundamentum euertere conantur,
sunt hæc dudum refutata, tantū nunc ad ob-
iecta Budnæi leuia quidem illa & friuola re-
spondere animus fuit, vt videat se immerito
de impijs & ineptis suis commentis gloria-
ri, quæ omnibus veterum interpretationi-
bus vanus thraso audet anteponere. Quare nō
omittendum illud quoque est quod postremo
loci obijcit: Si verba Ioannis de Sermone æ-
ternō interpretetur, totam narrationem con-
fundi, & cœlestia atque visibilia commisceri,
,, mox enim Ioannis Baptistæ mentionem fieri,
,, cuius nulla mentio facienda fuerit, si Sermo di-
catur in principio mundi fuisse: itaque nos ce-
cos & stupidos vocat, qui Euangelistas arbitre-
mur omnia comiscuisse & nullum seruare or-
dinem. Ipse vero solus ita interpretatur Euan-
geliste verba ut omnia pulchro ordine, decen-
ti modo, & consona analogia incedant. Egre-
gius scilicet ordo, & optima analogia qua ge-
nuinus sensus Euangelistæ perueritur, & præ-
clara Christi eminentia prædicatur, quod sit
tantum homo nobis similis, instar aliorum pro-
phetarum sermonis Dei interpres: & fides no-
stra mire scilicet confirmatur, cum docemur
contra scripturarum doctrinam in hominem
spem

De ordine
narrationis
Ioan. I.

spem & fiduciam salutis nostræ reponere: no-
lo omnes blasphemias quæ hac interpretatio-
ne continentur oratione persequi, quando ani-
mus ad eorum mentionem horret. Quod au-
tem ordinem ipsum attinet, is optimus atque
decentissimus seruatur à spiritu Sancto, quem
nos non turbamus nostra interpretatione sed
oculis subijcimus. Agitur de Iesu Christo Filio
Dei vnigenito, nato secundum carnem ex Ma-
ria virgine. Primum igitur docet Euangelista
Logon siue sermonem esse æternum, & hunc
apud Deum fuisse & Deum esse: hunc Logon
esse creatorem omnium, & vitam quoq; in quo
omnia viuunt, sicut alibi dicitur omnia sustine-
re verbo potente: eundem illuminare omnes
homines vi & rationis intelligentia, quamuis
ipsi lucem hanc non agnoverint neque Deum
(vt Paulus ait) glorificarint, vani facti in cogi-
tationibus suis. Hæc vbi in genere de Logo
proposuisset: secundo loco exponit Iesum esse
hunc Logon æternum, quod Cerinthius & hæ-
retici negabant, idque probat testimonio Io-
annis: Ioannes inquit, qui tantus fuit ut vulgo
putaretur esse Christus, non fuit lux illa vera,
sed missus à Deo venit in mundum ut testare-
tur de hac luce vera, quæ omnem hominem il-
luminat, de Sermone inquam qui in mundo
erat, nā per eum mundus factus est. Hic enim

X ASSE R. ORTHOD. DOCT.

Sermo ad suos (Israeliticam gentem quam sibi peculiariter delegerat) venit, sed sui eum nō acceperunt & agnouerunt, prēter paucos, quos vi sua regenitos, filios Dei fecit. Ita autem vent hic Sermo, quod caro factus est, humanam naturam assumpsit & inter homines commoratus est, Deitatis suę gloriam ut pote vñigeniti egressi à Patre factis declarans : de hoc Sermone seu Logo Dei incarnato Ioannes testatus est, dicens, &c. Atq; hæc est simplex & propria sententia verborum Ioannis, atque optimus ordo in his seruatur, & vt ostendimus alijs, hæc sententia cum alijs scripturæ locis cōsentit. Neque est absurdum, quod ab inuisibilibus & cœlestibus initium faciens Euangelista ad visibilia transit, nam hic est naturæ ordo ut à potioribus initium fiat: et recte ostendit Christum seruatorem nostrum & redemptorem, eundem quoque Deum & creatorem nostrum esse: hæretici enim alium creatorem fingeant à patre Christi, & Christum ab opere creationis remouebant: at vero piij doctores credere & docuere, ab eodem genus humanum & ab initio conditum, & post lapsum reparatum esse, vt s̄æpe Irenæus testatur. Ac stulta est argumentatio nostrorum Adversariorum, Christo tribui opus regenerationis & nouam creaturam, ideo non illi tribuendam creationem rerum

rerum ab initio mundi : cū potius contrarium
 conficiatur, cum enim vtrunq; eiusdem sit po-
 tentiæ, diuinæ scilicet (nam vt creare sic etiam
 redimere mundū creatæ & finitæ naturæ non
 competit) recte vtrunque vni Christo tribui-
 tur: deinde quem magis conuenit restautato-
 rem esse præclaris alicuius operis, quām qui pri-
 mus eius opifex fuit? Præterea si noua creatu-
 ra & regeneratio opus est Christi, oportet vt
 aut à condito mundo fuerit & hæc in saluan-
 dis effecerit: aut dicendū esset nullos ante eius
 aduentum in carnem saluatos, si tum demum
 extitit & homines illuminare & regenerare
 cœpit: hoc autem sentire impium est, e ^{sacris}
 literis quæ veteribus fidem veram, quæ tamen
 non nisi nouæ creaturæ donum est, & salutem
 tribuunt, prorsus contrarium existit. Postre-
 mo sicut falsa est ratiocinatio, Deus est author
 nostræ redemptionis & vitæ æternæ, ergo nō est
 nostræ creationis: ita eodem paralogismo im-
 pie negatur Christum nostræ creationis aucto-
 rem esse, quia sit auctor nostræ redemptionis
 & regenerationis.

Venio nunc ad postremum argumentum, De testimo-
 nia inquam desumpta ex epistola ad ^{nouis ex}
 Hebræos. Illorum authoritatem primum in ge-
 nere eleuare conatur, dicens epistolam hanc
 authoritate carere. Verum non hic responsio-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Character
substantiae.

- ne opus esse arbitror, non tantum ob id quod hæc argumenta quibus autoritatem huius epistolæ quidam labefactare conati sunt, doctissimi viri dudum confutarunt, verum etiam quia Aduersarius ipse sponte hoc loco cedit, & epistolam hanc Apostolicam esse agnoscit. Quare nobis illius tantum responsiones confundendæ sunt, quibus singula testimonia particulatim dilacerata vellicat. Negat ex eo quod Filius Dei datur character substantiae Dei, duas in eo demonstrari figuræ, quia Adam merus homo ante lapsum fuerit imago Dei. Respondeo ingens esse discriminem inter id quod homo imago Dei dicitur, & ea quæ hic Christo tribuuntur, quod sit splendor glorie Patris, & expressa imago siue character substantiae illius: ηαύγεως enim seu splendor simul cum sua luce existit, & eiusdem est cum ea naturæ, quare nisi improprie Apostolum hac similitudine usum dicamus, consequitur Christum eandem cum paterna gloria, hoc est, Deitate essentiam habere. Et nostri argumenti sententiā confirmant ea quæ subiunguntur, nempe quod hic Dei Filius omnia sustinet verbo suo potente, & quod supra omnes angelos eminet, adeo ut filius & Deus appelletur. Item quod præcedit mundū per hunc conditum esse, haec enim omnia non conueniunt nisi ei homini qui simul etiam est Deus,

Deus, hoc tamen postremum à Paulo dici aduersarius negat, quoniā scriptum sit: Per quem fecit secula, quod tantum obiter indicetur hęc tempora à Deo ipso ministerio sui nati facta esse. Verum seculorum nomen cum pro præsenti tēpore ponitur, id ipsum exprimitur in scripturis. Vocant enim præsens seculum, vel hoc seculum, & id futuro opponunt, sed in præsenti loco nomen seculorū in vniuersum accipitur: quare etiam si aduersarij pro sua pertinacia nolint concedere seculorū nomen accipiendum pro mundo siue rebus quæ seculo continentur, quo sensu nomen hoc positū est in 10. cap. eiusdē epistole, tamē homini, qui nō simul sit Deus tribui non potest effectio seculorum præteritorum, præsentium & futurorum. Recte autem hoc loco nostros interpretari mundum per Filium Dei conditum esse, perspicue verbis Pauli ostendit, qui paulò post scribit de hoc filio Dei dictum esse, Tu in initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Verum ubi quid indefinite aut in vniuersum Christo attribuitur, existimant ubi licet hęc quocunq; modo visum fuerit restringere. Itaq; secula hoc loco ad præsens tēpus restringūt, & quod ibidē scribit Christū omnia sustinere verbo potenti, ad ea contrahūt quę in ecclesia per ministeriū verbi exequitur, ac aiūt hęc quę de

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Christo in uniuersum dicuntur, de his tan-
tum intelligenda esse quæ Christi personam &
officium spectant, rectè hoc quidem dicentes:
in eo autem aberrant quòd perperam de per-
sona & officio Christi sentiunt, & quem scrip-
ptura nobis proponit Deum simul & hominē,
humani generis creatorem & redemptorem,
hunc illi hominem tantum faciunt, & scriptu-
ræ testimonia, quæ Deum & creatorem asse-
runt, figurata & impropria esse volunt, atque
de humana tantum natura interpretantur, ne-
que tamen proferre possunt ullum testimoniū,
quod contrarium de Christo afferat et non per-
mittat hæc nos proprie intelligere. Itaque co-
rū solutiones omnes vitio quod petitionē prin-
cipij vocant, laborant, cū non aliā causam affe-
rant qua probent mundū nō esse à Christo con-
ditū, aut secula per ipsum facta, vel omnia potē-
ti eius verbo sustineri, quā quòd Christus ho-
mo tantū natus sit, cui hęc opera nō cōueniāt.

Asumpsit
semen Ab-
rahæ.

Quoī sā verò hoc quoque testimonio no-
stri frequenter utuntur, Filium Dei assumpsisse
se semen Abrahæ, atque inde colligunt aliam ef-
se naturam filij Dei assumentis, & aliam carnis
assumptę, ad id bifariam responder: Primum as-
sumere hic esse, in gratiam salutis recipere. Ve-
rum interpretatio hæc violenta est, primum
quo ad verbi significationem, non enim ver-
bum assumendi hoc sensu alibi accipitur, dein

de etiam quo ad scopum disputationis Paulinæ, in qua hoc præcipue agitur, Filium Dei debuisse hominem fieri, nostris excepto peccato miserijs obnoxium, fratrem nostrum, consimiliter ut nos, corporis & sanguinis participem. Secundò negat ex eo quod Filius Dei carnem assumpsit, consequi ipsum ante carnem fuisse, aut duplice natura constare. Nam esse eandem rationem huius locutionis cum proxima, qua dicuntur pueri sanguini & carni cōmunicare. Verum primum inter ipsas locutiones disserimen est, aliud enim est alicuius rei participem esse, aliud aliquam rem ad se assumere: homo animæ & corporis particeps est, hoc est animo & corpore constat, at homo animam assumere non dicitur, Christus tamen animam suam posuit & rursus sumpsit eam, quod facere non potuisset merus homo existens. Assumendi verbum actionem significat, quale cū Filius Dei carnem assumperit, necesse est ut ante assumptam carnem, hoc est antequam homo fieret, suam haberet substantiam, siue ~~mōsaīm~~ alioquin non potuisset quicquam agere. Deinde vis argumenti nostri non tantum in significazione unius vocis assumendi posita est, sed ex tota serie disputationis Apostolicæ conficitur. Nam eum describit Filium Dei, per quem mundus sit conditus, quique longe

ASSER. ORTHOD. DOCT.

præstantior sit omnibus angelis , eundem tamen non assumpsisse angelos sed semen Abrahæ , & carnis ac sanguinis participem factum nobis per omnia similem excepto peccato.

Quod si Filius Dei tantū homo fuisse, quid opus erat probare eū assumptione humanæ naturæ nobis similem factū esse? Omnino igitur idē hic scribit Apostolus ad Hebreos, quod Ioannes alijs verbis exprimit , Verbū caro factū est. Et pia vetustas contra hæreticorum fraudem constanter semper retinuit hanc interpretationem Apostolicā, nempe quod Filius Dei, & ille qui Deus erat & erat apud Deum, per quem mundus hic conditus est, is factus est caro, non mutatione aliqua sui ipsius, vt quidam hæreticorum censuerunt, sed humanæ naturæ assumptione: Filius enim Dei assumpsit semen Abrahæ , natus est ex semine Davidis secundum carnem, & factus ex muliere secundū carnem: hunc clarum & perspicuum sensum verborum Apostoli, cum alijs scripturis & analogia dei cōsentiente nobis nō patiamur eripi.

Obtulit se
per spiritū
æternum.

Similiter etiam alterius loci ex eadem epistola verum & orthodoxum sensum contra Aduersarij Calumnias asserimus. Scribitur autem illuc q. Christū per spiritū æternū seipsum inculpatum obtulisse Deo . Hic interpretatur Christum obtulisse sese per spiritum sanctum, quod eius virtute supplicium illud libenter su

bierit, ac similem esse locutionem alteri 2. Timothei 1. qua iubetur Timotheus custodire depositum per spiritū sanctū, qui habitat in fidelibus. Respondeo, etsi spiritus sanctus est & dicitur spiritus æternus, tamen hoc loco nomine æterni spiritus, non spiritū sanctum sed deitatem seruatoris nostri intelligendam esse. Agitur enim hoc loco de efficacia oblationis Christi ad expiādā peccata nostra, ac sanguini Christi perfectam redemptionem & sanctificationem tribuit Apostolus, quia Christus per spiritum æternum obtulit se inculpatum Deo, & ut initio epistolæ scripsit, purgationē peccatorum nostrorū per seipsum fecit. Si igitur Christus per spiritū sanctū seipsum obtulit, tū nomine spiritus sancti vel virtus & efficacia spiritus intelligitur, vel ipsa hypostasis spiritus sancti, quam tamen Aduersarij nō agnoscunt. Si igitur Christus seipsum obtulit per spiritum æternum, id est efficacia & virtute spiritus, qua supplicium libenter subiit, quæso quid maius ac præstantius Christo tribuitur, quam alijs sanctis, qui etiam ipsi diuini spiritus gratia omnia suppliciorū genera libenter sustinuerunt? Cur igitur sancti his suis oblationibus, si non alijs, saltem nō sibi ipsis purgationem peccatorū impetrarū? Deinde si per spiritum sanctum, hoc est, per diuinā hypostasim spiritus sancti, ac

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

pontificis munere fungentem Christus oblatus est, tum non ipse per seipsum purgationem peccatorum nostrorum fecit, cùm alia sit Christi, alia spiritus sancti persona: quare dicendū suisset Apostolo, spiritum sanctum purgationē peccatorum per Christum fecisse, & spiritum sanctum esse nostrum pontificem. Verum alter nos de hoc sacrificio sentire docent sacræ literæ. Nam Filius Dei qui assumpsit semen Abraham, siue Verbum caro factum, est noster Pontifex, vt habeamus Pontificem secundum ordinem Melchisedeci, eternum scilicet, neq; initium dierum neq; virtutē finem habentem: humana vero Christi natura illa hostia est quā Filius Dei patri pro nobis obtulit, sic enim scribitur, ipsum per propriū sanguinē semel ingressum esse in sanctuarium: & 10. cap. Filius Dei ingrediens mundum patri ait, Sacrificū & oblationem noluī, corpus autem aptasti mihi: & paulo post rursum scribitur, nos sanctificatos per oblationem corporis Iesu Christi semel factam. At vero humanā naturam Christi non ex se, sed aliunde hanc dignitatem habere, vt possit peccata mundi expiare, ita tamē vt non extra Christum dignitas hæc quærenda sit, sacræ literæ ostendūt, & sacrificiorum ratio hoc postulat, vt sacrificium propter offerentem acceptum sit. Hic autem idem est sacrificium & offerens, unus & idem Christus victimā & se-

cerdos, sed sacerdos nō Aaronicus, verum lon-
 ge præstantior, Filius Dei, Deus & homo, ideo
 prophetæ olim docuerunt in antiquo fœdere
 Deum esse redemptorē nostrum, & Iehouam
 iustitiam nostram, & Paulus ait Deum sangu-
 ne suo acquisuisse sibi Ecclesiā. Inde enim hu-
 ius victimæ sanguis efficax est, quia quamuis
 hominis sanguis sit, tamen etiam Dei sanguis
 est, is enim qui effudit Deus est, & à Deo est
 vis sanguinis huius. Ne tamen Deum à Chri-
 sto separemus cauendum est, ut alium facia-
 mus sacerdotem, & alium victimam, cum
 Verbum incarnatum sit noster pontifex, suam
 carnem ac sanguinem pro nobis offerens, ideo
 que vni & soli Christo totum opus oblatio-
 nis & purgationis peccatorum tribuitur Heb.
 1. 9. 10. Quare cum Apostolus filium Dei per
 seipsum dicat purgationem fecisse, & rursus
 Christum se per spiritum æternum obtulisse,
 spiritum hunc persona Christi includit, quem
 vt ostendimus Deum vocat, cuius est sanguis
 quo redempti sumus. Evidem cum opus re-
 demptionis nostræ longe maximum sit, & di-
 gnitas sacrificij Christi infinita, quoniam vni-
 co sacrificio semel peracto æternam redem-
 ptionem fecit, sacerdotium etiam Christi per-
 petuum, & cuius sacrarium est cœlum ipsum,
 miror quomodo impij homines isti asserere au-

ASSER. ORT^IOD. DOCT.

deant nostrum Pontificem hominem tantum esse? Nam non tantum dignitatem sacerdotij Christi imminuit, sed satis ostendunt se nunquam serio cogitasse de magnitudine misericordia qua per Christum liberati sumus; neque peccati atrocitatem, satanæ tyrannidem, inferorum & mortis terrores bene meditatos esse, à quibus orbem vniuersum tam facile liberari potuisse credunt, ut unius hominis, qui tantum homo & nil amplius esset, supplicium potuerit satisfacere in perpetuum pro hominibus. Si vero dignitas sacrificij huius ex eo est quod libenter mortem Christus subiit, quomodo non Christo æquabuntur Apostoli & martyres, qui & ipsi libenter mortem subierunt? Quod si recte assertimus sanctos omnes non nisi beneficio Christi saluatos esse, non autem supplicijs illis quæ sponte & libenter pertulerunt, oportet nostrum pontificem non fuisse merum hominem sanctis alijs similem, sed hominem & Deum, ut infinita & æterna huius sacrificij dignitas & efficacia non homini mero sed Deo in carne manifestato accepta referatur. Scio quidem hec ridori ab Aduersariis, sed prius homines qui terrores conscientiae sentientis iram Dei, & luctantis contra satanam impellentem ad desperationem experti sunt, hisciunt non aliam esse firmam & solidam consolationem, quam cum vera fide amplectimur.

Mediatorē hunc, qui homo simul & Deus est, ideoq; infinitō potentior satana, peccato, inferis, morte: quem nisi talem agnoscamus, semper fluctuabit fides nostra & incerta erit, cūm nō tantū scripture sed ratio ipsa nos doceat, extra Deū nihil esse in quo nos tuto fiduciam nostrā collocare possimus. Olim in Papatu multi mediatores nobis proponebātur, homines sancti & qui sanguine suo profuso nō sibi tātū sed alijs quoque accessum ad Deum meruisse crederentur: sed hanc doctrinam non attulisse tranquillitatem conscientiæ res ipsa arguebat, quando noui intercessores, nouæ propitiatiōnes Dei & peccatorum indulgentiæ quotidie quærebantur. Nihilò magis certi sunt & constantes in sua doctrina nostri Aduersarij: et si enim in hac blasphemia perseverant, quod æternam Christi Deitatem negant, tamen inconstantiam suam produnt, quando subinde genus doctrinæ mutant, scriptis colligi potest, & præterea complures aperte ad Iudaicas aut Machometanas superstitiones deficiunt: neque id mirum est, conueniunt enim in fundamento fidei cum his, neque præclarius de Christo sentiunt & docent quam Machometus, facile igitur vulg⁹ huiusmodi blasphemij⁹ imbutum, spe p̄mij aut terrore mortis comotum, ad Machometanam religionem impelli potest.

ASSER. ORTHOD. DOCT.

Et quoniam hæc omnis eorum blasphemie
summa est, quod Christum seruatorem no-
strum vera Deitate sua spoliant, quamuis id se
facere negent, & vna cum pijs se Christum

- Deum confiteri dicant, pauca quædam hac de-
re in fine huius libelli adiucere visum est, & la-
tentem eorum impietatem detegere: ita namq;
facile perspicere poterunt pij lectores quid de
aureolo Parutæ libello vt Budnæus vocat, &
• de ipsius Budnæi appendice sentiendum sit.
Esto itaque hæc summa propositio, Iesus Chri-
stus filius Dei conceptus è spiritu sancto & na-
tus ex Maria virgine, est Deus redemptor no-
ster. In hac propositione verbis nobiscum con-
sentient Aduersarij, sed in sensu ingens est di-
scrimen. Nos enim nomen Dei propriè acci-
Nomen Dei
accipere & proprie
rito tribu-
tur.
pimus & item nomen Filij Dei, ac dicimus Ie-
sus Christum conceptum è spiritu sancto, &
natum ex Mariæ virgine esse *hōzōn*, vt Ioannes
nominat, siue vt alibi scriptura vocat, sapien-
tiā Dei genitam ante iacta mundi fundamen-
ta ex ipsa Paru substantia, & ideo Christum
eiusdem cum patre naturæ & verum Deum
agnoscimus. Itaque cum Ioannes scribit, Ser-
mo erat Deus, & cum Thomas Christum no-
minat Dominum & Deum suum, & Paulus
eundem vocat Deum magnum & supra om-
nia benedictum, ac rursus Ioannes Deum ve-
rum

DE DVAB. NAT. CHRISTI 54

ram & vitam æternam: nomen Dei proprie ac
cipimus, non autem *θυατόρων*. Sic ut quem scri-
ptura Deum vocat, eum verum Deum, cui ve-
ritas, natura & virtus cum nomine conueniat,
intelligamus. Et ut Hilarij similitudine vta-
mur, sicut verum triticum est, quod spica
structum & aristis vallatum, & folliculis ex-
cussum, & in farinam comminutum, & in pa-
nem coactum, & in cibum sumptum reddide-
rit ex se & naturam panis & munus: Ita etiam
verum Deum intelligimus ut veritas non tan-
tum sit in voce aut nomine, sed in re & natu-
ra, alioqui Deus, & vita, et salus nostra esse non
poterit. Atque ita nos sentire cogunt infinita
scripturarum testimonia, quibus opera Dei, &
honor atque cultus diuinus Filio Dei tribui-
tur, que certum est vni & soli vero Deo conue-
nire. Contra vero Aduersarij nostri Christo
relinquunt Dei nomen, rei veritatē & naturam
auferunt, ac aiūt Filium Dei hominē tantum
esse, Deum tamē appellari eodē modo quo cæ-
teri principes. Verū principibus non tribujtur
illud incōmunicabile nomen Iehouę, Christus
autē Iehoua nominatur à Ieremia, Esaia, Za-
charia & alijs prophetis. Nomen Elohim Iudi-
ces & Principes significat, ut Christus non tan-
tum Iudex nominatur, sed Iehoua Deus ve-
rus. Cū aut̄ Apostolus inquit multos Deos esse,

Aduersarij
Christum fa-
ciunt nun-
cupatiuum
Deum,

ASSER. ORTHOD. DOCT.

tamen eodem loco ex eorum numero Christum eximit, dicens: Nobis autem unus est Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus noster Iesus Christus per quem omnia. Hic aperit Diis illis multis Deum Patrem & Dominum nostrum Iesum Christum opponit. Etsi autem Dei nomen Patri tribuit, non tamen Patri Filium opponit & à nomine Dei excludit, alioqui Pater quoq; à nomine Domini excludendus esset. Quare impiè faciunt Aduersarij nostri qui Christum multis Diis annumerant, præsertim cùm alibi Apostolus explicet, qui sint hi multi Dij, Qui inquit, natura Dij non sunt: de his autem propheta inquit, Pereant Dij, qui cœlum & terram non fecerunt. Quare si Christus iuxta Aduersariorum sententiam homo tantum est, & Deus appellatur propter virtutem sibi à Deo datam, erit quidem homo diuinus, sed tamen non natura Deus, ideoq; à nobis etiam adorari vera fide non poterit, manet enim firmum præceptum Domini, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Etiam si verò Aduersarij singant diuersos adorationis modos aut exceptiones aliquas ab hac regula, tamen cùm id absque scriptura faciant, eorum commenta recipere non possumus. Ac manet firmum hoc præceptum, Deos nouos & alienos non habendos aut adorandos:

rendos: alienus verò est qui non est natura ve
rus Deus, & qui sempiternus non est, sed fa-
etus fuit, hic omnino nouus Deus est.

Primum igitur in ipso capite controuersiæ
Aduersarij à simplici, genuino & proprio sen-
su scripturæ recedunt, dum nomen Dei ~~iparū~~
~~parū~~ accipiunt, nos verò proprietatem verbo-
rum retinemus, atq; nostram sententiam con-
firmamus cùm his locis, quibus nomen Ieho-
væ Christo in veteri Testamento tribuitur,
tùm innumeris ut dixi testimonij, quæ Chri-
sto opera & honorem Dei tribuunt: nostra de-
inde interpretatione glorificatur Christus, quæ
qui non honorat, ne Patrem quidem honorat:
præterea inuocatio nostra certa redditur, fidei
& spes confirmatur: Aduersariorum verò in-
terpretatione Christo iuuus honor eripitur, &
sit nuncupatiuus tantum Deus, Deus vnuſ ē
Dij multis qui natura non sūt Dij, Deus qui
non fecit cœlum & terram: Deus nouus & a-
lienus: adhæc adoratio labefactatui vñā cum fi-
de & spe. Cum enim vnuſ & solus Deus ado-
randus sit & huic fidendum, quæ potest esse
certitudo fidei, [& firmitas adorationis, quæ
ad hominem merum dirigitur] Iam si acceda-
mus ad aliorum scripturæ locorum interpreta-
tionem, iterum Aduersarij à proprio verborū
sensu recedunt, nam ut de vna re tantum aga-

ASSER. ORTHOD. DOCT.

mus, de opere inquam creationis, quod Christo tribuitur, de eo aperte scribit Ioannes omnia per ipsum facta esse, & absq; eo factum esse nihil, quod factum sit, mundum per eum factum esse, sed mundum eum non agnouisse. Paulus scribit per eum condita esse omnia que in celis sunt & que in terra, visibilia & invisibilia, thronos, dominia, imperia, potestates, omnia per eum & eius respectu condita esse, omniaq; per eum consistere. Item, Vnus inquit Dominus noster Iesus, per quem omnia & nos per ipsum. Ac ad Hebreos scribitur, Deum per Filium suum mundum condidisse. Item, de Christo scripta esse verba Psalmi 102. Tu initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterescet: ac velut amictum circumvolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es & anni tui non deficient. Verum Adversarij loca scripturæ hæc omnia interpretantur figuratae, quod scilicet hæc dicta sint de noua creatione, atque hanc interpretationem confirmant duabus rationibus.

Primum aiunt nomine unus Dei solum Deum Patrem intelligi, qui etiam solus sit creator mundi: itaq; quum nomen Dei, aut mundi creatio Christo tribuitur, aliter hæc nomina

accidit

Loca de
creatione
Adversarij
male inter-
pretantur
figuratae.

accienda esse. Atq; hic fuit antiquus mos hęreticorum, ita Patrem vnū Deum prædicare, vt Christum à diuinitate excluderent: hoc argumentum dudum Antitrinitarij siue Trithei tæ nobis obiecerunt, quibus etiam abunde sponsum est, & Päruta qui idem repetit, nihil profert quod non sæpe confutatum sit: alibi etiam de hac re volente Deo copiosius à nobis agetur. Secundo inquiunt, hæc tribui Iesu Christo homini mero, non Deo alicui, ideoq; de prima creatione non posse intelligi. Sed hic est paralogismus petitionis principij, de eo enim nobis cum Aduersarijs controuersia est, num Iesus Christus de quo hæc dicuntur, merus homo sit, nos enim id negamus, idq; propterea, quod scripturæ dicunt hūc esse Filium Dei, esse sapientiam Dei, & ~~hōmē~~ seu sermonem D^O, carnem factum, & esse Deum. Quapropter infinitæ sunt ipsorum rationes, propter quas à proprio verborum sensu recedunt. Similiter nomen Filij Dei tritissimum usus sacris literis impropte Aduersarij accipiūt. Cum enim Filij eiusdem generis & naturę sint cum parentibus, illi hominem merum secundum humanam naturā Dei Filium esse volunt, propterea quod contra ordinē nature cōceptus & editus sit. Nos aut̄ verū proprietatem Dei Filii agnoscimus, & sicut hominis Filii verū, ita vnū eun-

Aduersarij
Christi im
proprie uo
lunt Filium
Dei dici.

ASSER. ORTHOD. DOCT.

demque Filium Dei verum Deum credimus:
cur enim in humana natura veritas Filij & na-
turæ manet, & eadem in diuina non maneret?
Neq; hic Aduersarios imitamur, vt quia hanc
inenarrabilem & eternam generationem ratio-
ne compræhendere non possumus, ideo ean-
dem negemus.

*Aduersarij
ludunt ho-
monymijs.* Accusant nos Aduersarij sophistices, sed re-
uera ipsorum doctrina nihil aliud est quam so-
phistica blasphemæ & contumeliosa in Filium
Dei, vbi homonymijs ludunt & simplicibus
imponunt. Nomen Dei supremæ naturæ & po-
testatis nomen est, & ita cōmuni omniū gen-
tium cōsensu accipitur, ita vt id sit Deus quod
summū est: & quamvis humana mens Dei ple-
nam notionem assequi nō possit, tamen etiam
in his tenebris lumine naturæ cognoscimus,
(Paulo ad Rom. 1. teste) æternum est. Dei nu-
men & potentiam, ac omnes pīj cūm Deus no-
minatur, talem eius notionem animo concipi-
unt. Itaq; simplices cūm audiunt Aduersarios
Christum Deum nominare, Deum verum in-
telligunt, cuius immensa & æterna sit maiestas
& potentia. Sed pro hoc Aduersarij nudum ac
merum hominem nobis obtrudunt, potestate
quadam concessa Deificatum, & ita ambiguita-
te nominis simplices decipiunt, ac rident nos
qui Christum æternum Deum, aut æternum
Dei

Dei Filiū prædicamus. Quomodo (inquiunt) homo hic qui ex Maria natus est, æternus esse potest? Cur verò hunc qui ex Maria natus est, verum hominem esse credis, quod multi hæreticorum negarunt? Quia inquis, scripturæ id assertur. Cur ergo non eundem etiam verum Deum esse credis, quod etiam scriptura testatur? Tu ipse cum diuersissimis naturis constes, animo & corpore, noli denegare seruatori tuo ut ipse duabus naturis constet, diuina & humana, & ita non minus sit verus Deus quam verus homo, quandoquidem utrumque scriptura de eo affirmat: & Mediatoris persona & officium, in quo omnis ratio salutis nostra posita est, utrumque exigit. Si enim mediator noster ~~Mediator~~, homo tantum merus esset, ut vos vultis, non ille esset medius inter Deum & nos, utriq; parti pariter coniunctus, non haberet infinitam vim expiandi peccata nostra, & reconciliandi nos Deo, non in eum credere & sperare liceret, maledictus enim qui confidit in homine, non deniq; ipsum possemus inuocare, cum Dominum Deum solum inuocare debeamus, ac idololatre sint quicunque alium vel in cœlo vel in terra inuocant. Quod si Deus tantum esset & non homo, tum nobis non æquus & parimodo coniunctus mediator esset, ad quem cum fiducia accedere possemus, non potuisset etiam

ASSER. ORTHOD. DOCT.

tum seipsum pro peccatis nostris offerre. Itaque eum mediatorem nobis proponunt sacre litterae, qui Deus sit & homo, talem ergo nos agnoscamus, & ne ita amplectamur cognatam nobis humanam naturam ut diuinam abnegemus.

Christus non tantum homo sed etiam Deus ab Evangelistis describitur Describunt quidem euangelistae diligenter Iesum Christum Dauidis & Abrahami filium, et eius conceptionem, nativitatem, passionem, mortem, quae omnia homini conueniunt, sed inde non conficitur, eum hominem tantum esse. Nam ipsis eius quoque diuinitatem & ortum ex patris substantia indicant, & cum diserte testantur Apostoli Christum Dauidis esse filium secundum carnem, item Christum passum esse secundum carnem, monent nos ut ea quae infirmitatis sunt, ad humanam naturam referamus, ideoque etiam cum patre minor, & illi subiectus esse, & patrem habere Deum dicitur, hic quoque iuxta apostolicam interpretationem, iuxta carnem id interpretamur, siue quo ad humanam naturam, & mediatoris personam: rursum cum scriptura aperte dicat eum Deo Patri aequalis, & magnum ac verum Deum, id quoque vere de ipso dici non dubitamus, sed non secundum carnem, verum secundum diuinitatem. Atque hic est simplex scripturarum sensus, vbi nusquam a verborum proprietate receditur, sed sicut duarum naturarum nomina Christo tribuuntur.

tribuuntur, ita etiam omnia quæ de Christo narrantur, iuxta easdem naturas discernimus suum cuique tribuentes, sic tamen ut omnia ad unum eundemque Christum referantur. Est quidem hypothesis Aduersariorum, unam tantum in Christo esse naturam, sed haec multis argumentis saepe confutata est, & confutatur infinitis testimonij scripturarum, quibus Christus Deus esse ostenditur: Et tanta impie-
tas publico piorum consensu omnibus seculis
a Christo nato damnata fuit: neque ferendum
est, ut homines temerarij & impij, publicum
hunc consensum, tot scripturæ testimonij con-
firmatum, violare & contemnere audiant. Pos-
sent forte excusari, si firmis & perspicuis scri-
pturarum testimonij huc adigerentur, sed nul-
la huius generis habent. Nam quæ de humana
Christi natura proferunt, non negamus, Chri-
stum enim non minus verum hominem quam
verum Deum agnoscimus: verbum autem pro-
ferre non possunt, quo affirmetur Christus non
esse Deum, nos innumera loca habemus, qui-
bus diuinitas Christi asseritur, quæ illi non ali-
ter eludere possunt, quam figuratum sensum il-
lis affingendo, qui tamen non habet locum aut
tollit proprium sensum, nisi contrarijs sacre scri-
pturæ locis ostendant proprium sensum, ut po-
te analogiæ fidei & gloriæ Dei repugnare, quod

ASSER. ORTHOD. DOCT.

haec tenus non fecerunt, neque vñquam facere poterunt. Sed homines arrogantis & fastuosi ingenij, & inexhaustæ curiositatis, simplici doctrina, quam ecclesia ab Apostolorum etate per petuo consensu complexa est, cōtentii esse non possunt, cupiunt nouum aliquid proferre & ex eo laudem captare, & mysteria fidei nostræ, quæ pīj omnes magis adoranda quā scrutanda crediderunt, cum perscrutari & in his curiositati suæ satis facere non possint, suo captui subjicerentur, & humanæ rationi plausibilia facere. Itaque cum scripturas iactent, de simplicitate glorientur, nobis sophisticem obijciant, ipsi tamen nusquam ferē genuinum & simplicem sensum scripturarum retinent, sed eas pro suo arbitratu iuxtaquæ suas hypotheses infle-

Nous ido-
lolatriam
stabilitum
Aduersari. etunt. Verum pījs hominibus quibus Dei gloria & propria talus curæ est, diligenter est obseruandum quæ hæc tendant, nempe in eum finem quo omnes hæreses, vt nobis vnicus nos ter Mediator & redemptor eripiatur, & noua idololatria stabiiliatur. Ac lubet hic in fine adscribere verba Gregorij Nisseni, de his qui Christum creaturam et ex non existentibus factum docebant. Posteaquām inquit hominum insania circa simulachrorum cultum prædicatione Christi extincta, & omnia iam delubra cæteræque res quæ vano dementum cultu celebrari

lebrari ac frequentari solebant, dirutæ atque è medio sublatæ erant, quum per vniuersum pènè terrarum orbem habitatum, prædicatio pie tatis & veri Dei cultus atq; religionis perua sisset adeo, vt is, qui fraudis humanæ principatum & imperium tenet, ex omnibus partibus orbis terrarum Christi nomine expelleretur et exturbaretur, solerti & callido nimirum ad malitiam inuentori malitiæ atque nequitiaæ scelus & improbum consilium non defuit, quo per fraudem denaro sibi obnoxium redderet genus humanum: sed sub prætextu ac specie Christianismi simulachrorum cultum latenter redxit, quū suis commentis & imposturis persuasisset ijs, qui ad ipsum spectabant, ne deficerent à creatura, sed eam adorarent & venerarentur, Deumq; creaturam esse putarent, quæ Filij nomine vocaretur. Quod si ex rebus quæ non essent, creatura producta & ab diuina es sentia, quantum ad propriam ipsius attinet naturam, aliena sit, neminem eam rem debere curare, sed Christi nomine creaturæ imposito, hanc adorare, hanc colere, in hac spem salutis fixam habere, ab hac iudicium expectare. Et ut rem summatim complectar: quum inuasisset apostata homines totius malitiæ suæ capaces. Arium inquam & Actiem, Eunomium, Eudoxium, ac præter hos, multos alios, per eos

ASSE R. ORTHOD. DOCT.

deficientem iam simulachrorum cultum, sicut dictum est, nomine Christianismi denuo reduxit. Hæc Nissenus: quæ optime nostris temporibus conueniunt; nam postquam Dei beneficio superiorum seculorum crassa idololatria luce verbi Dei detecta & profligata est, & agnoscit cœpit vulgo quoque Filius ille perditionis, descriptus nobis in sacris literis: Satan ad veteres artes recurrens, excitato Serueto quasi novo quodam Ario, aut potius Simone Mago, dum is simulat se vñā cum alijs Antichristum oppugnare & eius idola euertere, nouam idololatriam introduxit, & magni Antichristi Machumatis doctrinam sub titulo Christianismi confirmauit, similia cum illo docens de Christi seruatoris ortu, persona, officio: & hæc præclaras dogmas Seruetus in Machometanorū scholis hausit, quæ eius discipuli nunc in vicinia Turcarum spargunt, & ut audio non pauci ad Turcas superstitiones deficiunt, ac circumcisionem recipiunt. Atque hic finis est novæ huius doctrinæ, quæ Christum seruatorem asserit creaturam & nudum tantum hominem esse, quare ex fructibus iudicium de ea fieri potest. Nos vero qui Dei beneficio vera agnitione Christi donati sumus, & Deum Patrem unum cum vero coæternō & eque substantiali Filio & Spiritu sancto agnoscimus & colimus,

arden-


DE DVAB. NAT. CHRISTI. 60


ardentibus precibus eundem inuocemus, ut
hanc veram sui agnitionem in ecclesia conser-
uet, & procul ab ea Turcicos hos furores auer-
tar, arma quoque eorum immania compescat,
ut reliquię ecclesię in ipsius agnitione crescen-
tes, ipsum sincera fide & innocentia perpetuo
colere possint. His vero qui tantas blasphe-
mias spargunt, & Machumetanismo viam ster-
nunt, precamur meliorem mentem & veram
Christi agnitionem: sin minus ecclesiam tur-
bare perrexerint, sciant se à Christo, cuius ho-
norem & gloriam oppugnant, perdeados &
excindendos esse, cum Ario & alijs blasphe-
mis: manet enim firmum Dei decretum,


Honorantes me honorabo, con-
temnentes autem me
contemnentur.

F I N I S .

of the day's work. At the end
of the day, the workers
would go home to their families.
They would have dinner
and then go to bed. They would
wake up in the morning
and go back to work. This
cycle would repeat itself
every day until the project
was completed. The workers
would work hard and
they would be paid well.
The project would be
completed in just a few
months.









E.